



V
B
J
C



Divini, Eruditissimo Spicelio LLD. in A.V.C.
Amoris, Observantiae ergo

[illegible]

QVINTUPLEX TEMPORIS EXEGESIS

SIVE

TRACTATUS QVINQVE DE CALENDARIO.

AUTHORE
R. P.
ADALBERTO TYLKOWSKI,
S. J. Theologo.




Typis Monasterii Olivensis Sac. Ord. Cisterc.
Imprimebat JOAN. JACOB. TEXTOR,
Factor 1687.

JOANNES PAULUS OLIVA,

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUm opus de Doctrina Calendarii a P. Adalberto Tylkovvski noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtatem facimus ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur, cujus rei gratiâ has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 22. Novembr. 1672.





Johannes Paulus Oliva.

Imprimatur
Nicolaus Stephanus Pac Epiſc. Vilnenſ.



TRACTATUS PRIMUS CALENDARII DE VARIIS TEMPORUM NOMINIBUS, DIFFERENTIIS, AC MENSURIS.

CAPUT I.

Quid sit Computus Ecclesiasticus & quotuplex?



Omputus Ecclesiasticus nihil est aliud quàm ratio & Via investigandi sacrum festum Paschatis cum aliis quibusdam temporibus ac festis mobilibus quæ in Ecclesia Catholica quotannis suo loco mutata celebrantur. Ea autem tribus modis computari & inveniri possunt 1. Arithmeticè per certas numerorum regulas 2. Geometricè per digitos manûs 3. Astronomicè per certas tabulas numerorum, & rotulas. Quos omnes tres modos eo ordine quo enumerati sunt quâ poterimus brevitate simul & perspicuitate docebimus, si prius universalem temporum tractationem præmittamus, quæ unâ cum computo Ecclesiastico solet ac meritò debet conjungi, eò quod hinc ejus cognitio magna ex parte dependeat.

CAP. II.

CAPUT. II.

Quid sit tempus & quotuplex?

ACcipitur hîc tempus pro quacunqve rerum mutabilium mensura. Ejus partes præcipuæ, ab Ecclesiasticis usurpatæ sunt istæ. Videlicet, Annus, Mensis, Septimana, Dies, Hora, Quadrans, Minutum, Secundum, Tertium, Quartum &c. Quibus partibus adjunguntur ab Historicis aliæ, Videlicet Indictio. Lustrum, Olympias, Sæculum, ætas. *Annus* continet 12. menses seu 52. septimanas & unum diem. Vel 365. dies & sex ferè horas, *Mensis* continet 4. septimanas vel paulò plus. Septimana 7. dies. Dies. 24. horas. Hora 4. quadrantes. Quadrans 15. minuta. Minutum 60. secunda. Secundum 60. tertia. &c. *Indictio* verò continet spatium 15. annorum. Lustrum Spatium 5. annorum. Olympias spatium 4. annorum completorum. Verùm de his & aliis temporum partibus ac durationum mensuris jam ordine suo plura dicemus ac latiùs differemus.

CAPUT III.

Quotuplex sit Annus?

ANnus generatim loquendo quadruplex est videlicet Solaris, Lunaris, Magnus & Emergens. Annus Solaris à motu Solis accipit. Lunaris, à Motu Lunæ. Magnus à motu augium. Emergens à re illustri seu casu notabili. Atq; horum annorum quilibet adhuc multiplex est, & in plures species dividitur.

Quotuplex sit annus solaris, & quid eorum quisq; & quantus?

Annus *Solaris* duplex est Astronomicus seu tropicus & Civilis seu usualis. *Astronomicus* Annus est spatium temporis quo sol proprio motu totum Zodiacum percurrit, ab occasu

casu in ortum, initio sumpto ab aliquo certo puncto; ut à primo puncto arietis, donec ad idem punctum redeat. Mensura hujus anni veteribus quasi incognita fuit ut refert Censorinus Lib. de die natali Cap. 29. ubi hæc habet. Tempus anni quot dierum esset nondum Astrologi reperêre. Philolaus annum naturalem dies habere prodidit 364. & dimidiatum, Aphrodisius 365. & partem diei octavam. Câlippus autem 365. & Aristarchus Samius tantundem diei partem unam ex 1613. Meton verò 360. & dierum quinq; undevigesimam partem. Oenopides 365. & dierum duûm & viginti undesexagesimam partem. Haipalus autem 365. & horas æquinoctiales 13. At noster Ennius 366. Pleriqve præterea incomprehensibile quiddam & inenunciabile quîddam existimaverunt. Hactenus ille. Ptolomeus anno Christi 130. Annum Astronomicum Solarem deprehendit dierum 365. hor. 5. min. 55. sec. 12. Albategnius Anno Christi 880. dierum 365. hor. 5. min. 46. sec 24. Alphonsus Rex Aragoniæ circa Annum Christi 1248. anno tribuit dies 365. hor. 5. min. 49. sec. 16. Tycho Brahe mediam anni magnitudinem statuit dies 365. hor. 5. min. 48. sec, 45. Longomontanus in Astronomia Danica eandem mediam vult esse dierum 365. hor. 5. min. 48. sec. 55. Copernicus demonstrat cum annus maximus est addenda esse 55. m. 37. sec. 40. tertia; cum verò minimus addenda m. 42. sec. 55. tert. 7. ad 365. dies & horas 5. Sic annus iste inæqualis est, modo crescens, modo decrescens.

Annus *Civilis* est duplex Communis & Bissextus *Communis* constat ex 365. diebus. *Bissextus* autem, qui & embolismalis Græcè, & Latinè intercalaris dicitur diebus 366. Progreditur autem annus civilis tantum per dies integros, neglectis minutiis dierum & horarum eò quod instituatur ad captum vulgi, quod minutias percipere non potest, quæ etiam in Calendario disponi non possunt cùm certam sedem non

 habeant.

habeant. Ut tamen cum anno Astronomico, quoad fieri potest congruat, loco horarum, & minutorum, quarto quoq; anno intercalatur seu interponitur dies unus inter 24. & 25. Februarii. Cæterum quia dies iste adjectus aliquantò plus continet, quàm fragmenta præcedentibus annis neglecta, propterea nonnunque in posterum omittetur annus ille bissextilis, videlicet quadringentesimo quoqve anno, ut postea dicetur, ne alioquin æquinoctia & solstitia versus principia mensium paulatim progrediantur quemadmodum ante ultimam Calendarii correctionem est factum.

CAPUT IV.

De Vario Anni Solaris initio.

SEcundum varias nationes & temporum & hominum Conditiones varia habuit annus initia. Romulus quidem annum incepit à Martio juxta æquinoctium vernale eò quòd tunc omnia vireant, & floreant & quodammodo renascantur ac renoventur. Hinc Ovidius:

Omnia cum vireant tunc est nova temporis æstas
Sic annus per Ver incipiendus erat.

Astronomi verò & Astrologi ab ipso Vernali æquinoctio annum incipiunt, cùm scilicet Sol principium arietis ingreditur, quòd nunc post reformationem calendarii fit 21. Martii. Nam ab initio arietis illi suas tabulas computant, isti fortunam divinare incipiunt.

Numa Pompilius annum suum à solstitio hyemali incepit, eò quòd tunc Sol ad nos ascendere incipiat. Hinc pulchrè idem Ovidius:

Bruma novi prima est veterisque novissima Solis
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Apud Ægyptios, Persas, Græcos & omnes Orientales nationes incipit annus circa æquinoctium autumni, nempè à con-

conjunctione luminarium eidem propinquiore, sive ante, sive post, æquinoctium contingat.

Apud Arabes media æstate, sole existente in Leone. Apud Alexandrinos quarto Calendarum Sept. hoc est 29. Augusti. Apud Hebræos pro duplici anno quo usi sunt duplex initium erat. Annus primus, naturalis & vulgaris ab initio mundi institutus circa æquinoctium autumnale (quod 23. Septembris contingit) initium habet atqve de eo Exodi 33. sic legitur: *Custodies Solennitates in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.* Et cap. 34. *Solennitates hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, & solennitatem quando adveniente anni tempore cuncta conduntur.* Josephus autem lib. antiq. Jud. tradidit; Elunium Noe cæpisse secundo mense anni, qui à Macedonibus vocatur Dies, ab Hæbreis Mareshusian, qui respondet apud Romanos Octobri. *Annus secundus sacer* ac Civilis à Deo per Moysen in egressu Hebræorum ex Ægypto institutus, habet initium in Martio circa æquinoctium vernum, de quo sic præcepit Deus in Ægypto ut legitur Exodi 12. *Mensis iste Vobis principium Mensium erit in mensibus anni.* Eum verò mensem post vocavit cap. 33. mensem novarum frugum & cap. 34. mensem verni temporis. Quare omnium consensu putatur fuisse idem atq; Martius. Utriusqve anni principium colligitur etiam ex Chaldeo paraphraste qui locum ex 8. tertii Regum ita expresit. *Convenerunt ad Salomonem in Mense Fortium, festo die, quem vocabant olim primum mensem, at nunc est septimus.* Ecclesia Catholica incipit annum in Choro quidem seu Divinis Officiis ab adventu Domini Servatoris Nostri. In foro autem, ac publicis negotiis cum Romanis ab initio Januarii qui circa solstitium hyemale incipit cum enim sub Imperio Romano nata sit & educata Ecclesia Dei, aliud principium capere non potuit, neqve postea cum ad Christiano Imperium devolutum

volutum eſt, facilè comutari. Itaqve in hodiernum usqve diem idem anni initium retinet quod olim ei Romani dederunt, neqve ulla eſt cauſa urgens cur ab hac conſuetudine recedat.

CAPUT V.

Quotuplex ſit annus Lunaris & quid eorum quisq;?

ANnus *Lunaris* dividitur ut ſolaris, in Civile ſeu politicum & Aſtronomicum. *Civilis* ex diebus integris conſtat & eſt duplex *Communis* & Embolismicus. *Communis* continet modò 354. idqve plerumqve, modo, idqve rarò, 355, quorum ille *plenus* hic cavus, ſeu deficiens dicitur, atqve utriqve 12. Lunationes comprehendit. *Embolismicus* autem continet plerumqve dies 384. interdum verò ſed rarius 383. & prior quidem plenus, poſterior verò cavus eodem modo dicitur: atqve uterqve 13. Lunationibus continetur, Annus Lunaris *Aſtronomicus* qui & medius & æqualis dicitur, præter dies integros etiam fragmenta quædam continet ut annus communis 12. Lunationum continet dies 354. horas 8. m. 48. ſec. 38. tert. 12. ferè. Embolismicus autem 13. Lunationum dies 383. horas 21. m. 32. ſec. 41. tert. 23. Qui annus excedit communem Lunarem 30. diebus, annum verò ſolarem diebus 19. & cognominatur ab Embolismo quæ dictio ἀπὸ τοῦ ἐμβάλειν quod eſt injicere ſeu inſerere deducta, intercalationem ſeu inſertionem ſignificat, & accipitur pro Lunatione 30. dierum anno inſerta, nulli tamen certo menſi attributa propterea quia ex reſiduo aliorum menſium conſtat. Sunt enim in cyclo decemnovennali ſpatio 19. annorum 235. lunationes; cum tamen ſunt ſolùm 228. menſes ſolares. Quare ſi ſingulis menſibus ſingulæ Lunationes attribuantur ſupererunt ſeptem irregulares qui Embolismi dicuntur. Qui vero anni ex 19. Embolismales ſunt ſequentibus verſibus ſignificantur.

Tertius & sextus, Octavus & undecimalis
Et quartus decimus, decaprimus & decanonus.

Primus Embolismus incipit 2. die Decembr. & terminat ultimo ejusdem. Secundus 2. die Septembr. & terminat 10. Octobr. Tertius incipit 6. Marc. & terminat 4. April. Quartus incipit 3. Jan. & terminat 1. Febr. Quintus incipit 2. Novembris & terminat 1. Decembris. Sextus incipit 2. Augusti & terminat ultima ejus. Septimus incipit 5. Martii & terminat 3. die April.

Notandum autem quadruplicem errorem in Calendario posse contingere propter Embolismos. Videlicet, Errorem, vicissitudinis, terminationis, variationis, & Epactarum. Error *vicissitudinis* est, cum plures Lunationes 30. dierum se consequuntur. Error *terminationis* est quando Lunationes terminantur extra suos menses, qui contingere potest in 34. & 7. embolismo. Error *variationis* est, quando mensis positus impari loco imparem etiam habet lunationem, & e contrà. quod contingit in omnibus irregularibus. Error *Epactarum* est, quando errat Epacta & Regularis, quod fieri potest tertio anno in principio Maji & Junii: item quarto in principio Martii cùm fit bissextus. Item in 7. nam in principio Maij & Augusti tam Epacta quàm irregularis decipiunt. Prædicti anni embolismales in ordine cycli his numeris significantur 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. significantur & sequenti versu.

Christus factus homo levat omnia reddita throno.

Tot sunt in hoc versu dictiones quot embolismi, & a quota litera alphabeti quælibet dictio incipit, eo etiam anno Embolismus illi respondens contingit. Sequens versus significat quo mense & die embolismi contingant. Sic autem habet:

Mobilis ibo cosis ace liber habeto coævum,

Ex quibus dictionibus prima respondet primo embolismo, secunda secundo &c. & a quota alphabeti litera quælibet

libet dictio incipit, in tali etiam mense, a Janario computando, contingit. Quotum verò locum prima litera secundæ syllabæ habet in ordine alphabeti, a tali etiam die illius mensis incipit embolismus. Unde quia in hac dictione *Mobilis* primo embolismo respondente litera M est duodecima in ordine Alphabeti, ostendit primum embolismum duodecimo mense, hoc est in Decembre contingere: Et quia B prima litera secundæ syllabæ illius dictionis est secunda, colligitur primum embolismum secundo decembris incipere.

Illud etiam notandum Judæos olim nullum annum præter Lunarem agnovisse, eosqve embolismum non in medio anni vel mensium intercalasse, ut nos ad imitationem Romanorum facimus: sed in fine anni cœteris duodecim lunationibus elapsis decimam tertiam adjunxisse.

CAPUT VI.

Quotuplex annus magnus & quid eorum quisq;?

ANnus *magnus* dividitur in Communem & Specialem. *Communis* est spatium revolutionis augium Solis, completurqve 49. Millibus annis vel ut alii volunt 36. Millibus atqve hic annus etiam Platonicus appellari solet, & eo finito omnes stellas eandem inter se positionem habituras dicunt quas ab initio mundi habuerunt, cum primum à Deo creatæ sunt. Annus magnus *specialis* est spatium temporis, quo quilibet alius planetarum perfectum suum cursum, quo ad auges & deferentes complet, & quoad reliqua omnia, donec ad eandem omnino positionem ac constitutionem perveniat; atqve hic annus distinctionis causa & Planeta cui accommodatur, cognominari potest ut videlicet dicatur annus magnus Saturni, vel Jovis, & sic de reliquis.

Sicut porrò annus magnus planetis applicatur, ita etiam communis accommodari posset, qui nihil est aliud quam spatium

ſpatium, quo quisqve aliorum planetarum totum Zodiacum peragrat, Quantum autem quisqvè eorum temporis ſpatium requirat ex ſequenti tabula patebit.

♄ Saturnus conficit ſuum curſum annis 30. ſingulis diebus peragrans in Zodiaco minuta quaſi duo & tertia 35.

♃ Juppiter annis fere 12. ſingulis diebus conficiens 4. min. 52. Sec. & 15. tertia.

♂ Mars abſolvit ſuum curſum annis ferè duobus omni die percurrens in Zodiaco m. 31. Sec. 26. tert. 38.

♀ Venus eodem ferè temporis ſpatio conficit ſuum curſum quo Sol. Singulis enim diebus progreditur min. 59. Sec. 8. tert. 19.

☿ Mercurius eodem ferè tempore cum Venere ſuum perficit curſum. De Sole & Luna dictum eſt ſupra & dicentur etiam poſt hac plura. Verum de his omnibus in ſphæra, & theoria planetarum plura.

CAPUT VII.

Quid annus emergens & quotuplex.

ANnus *emergens* dicitur ille, in quo aliquid notabile contingit & emergit, à quo proinde reliqui deinceps anni computantur. Hic annus multiplex eſt ac nullo certo numero definitur, ſed pro multitudine caſuum inſigniter notabilium multiplicatur. Sic Græci computârunt tempus à prima Olympiade. Romani à condita urbe. Chriſtiani à prima Dominica incarnationis Chriſti. Summi Pontifices ac Reges ab initio ſui regiminis. Monachi Montis Oliveti ab initio ſuæ congregationis, quod fuit anno Domini 1300 alii aliter.

CAPUT VIII.

Quid aera & quotuplex.

ÆRa idem eſt quod annus emergens. Eſt enim ſecundum Alphonſum Regem, temporis, dignitatis, honoris

vel memoriæ gratia inchoati ab aliquo anno, sive principium dignum memoria usqve in aliud considerationis, sive propositum tempus, commoda connumeratio. Ut Æra Nabuchdonosor, est tempus supputandi annos ab ejus Imperio. Itaq; nihil differt Æra ab anno emergente, nisi usu. Emergens enim annus a vulgo usurpatur, Æra autem à solis Astronomis : ut proinde breviter & clarè loquendo Æra definiri possit initium notabile à quo suas incipiunt supputationes Astronomi.

1. Æra Christi h*i*c dicitur, ea series annorum; Qua communiter utuntur Christiani Occidentales; qui unanimi consensu jam numerant annum Christi 1686.

2. Anni Juliani sunt, qui edicto Julii Cæsaris apud Romanos in usu esse cœperunt ipso Julio IV. Cos. sine Collega, anno ante Æram Christi 45. Nam eclipsis solis quæ contigit Cal. Augusti anno V. Claudii ostendit annum Julianum 90, pariari anno Christi 45: Quæ vero accidit anno V. Neronis prid. Cal. Majas, jungit 104. Julianum, 59. Christi anno. Firmant hunc nexum Censorinus & S. Hippolytus, quorum hic signat Dominicam Paschæ 15. April. Ulpio & Pontiano Coss. aliosqve Characteres adjungit anni Christi 238. Censorinus autem triubit his Consulib. annum 283. Julianum. His assentiri coguntur, qui fatentur anno 115. Juliano, quo Ierosolymam Titus evertit, octavam septembris incidisse in sabbatum. *Si annis Christi adjunxeris 45. exurgent Juliani.*

3. Æra Hispanica, cujus sæpe meminerunt sacra Concilia in Hispaniis celebrata, fluere cœpit anno 8. Juliano, Appio, Claudio. & C. Norbano Coss. *Hanc æram habebis si ad Christi annos 38. addideris.* Quod tum alii, tum Baronius constanter servat.

4. Annum primum Monarchiæ Rom. vocamus, quo e vivis Antonio & Cleopatra sublatis, Augustus solus rerum potiri cœpit; perfectam adeptus victoriam, quam anno proximè elapso

elapſo ad Actium inchoarat. Hinc fit ut hi anni quandoq; Actiacæ victoriæ nuncupentur, qui ſumunt initium anno 16. Juliano, Auguſto IV. & Craſſo Coſſ. *Si annis Chriſti addantur 30. proveniet annus Monarchiæ Rom. qui dato Chriſti anno exoritur.*

5. Anni Auguſtorum initium ducunt â Conſulatu Auguſti VII. & Agrippæ III. cum Octavianus Imperator primum nomine Auguſti decoratus eſt, anno Juliano 19. *Annis Chriſti adjice 27. ut annos Auguſtorum habeas.*

6. Æra SS. Martyrum vulgo Diocletiani dicta, aperitur labente anno Chriſti 284. ut bene periti colligunt ex Epiſtola S. Ambroſii ad Epiſc. per Aemyliam conſtitutos, in qua præter alia ſignatur Paſchalis celebritas an: Diocletiani 76. 89. 93. qui congruunt annis Chriſti 360. 373. 377. Hinc ſcitè Baronius literas ex Ægypto ad Clementem VIII. anno â SS. Martyribus 1310. die 16. Athyr. datas, adſcribit anno Dom. 1593. 22. Novemb. *Annis Chriſti detrahe 283. ut remaneat annus SS. Martyrum anno Chriſti propoſito incipiens.*

7. Olympias prima acta eſt anno ante æram Chriſti 776. Nam Cenſorino teſte, anno Juliano 283. qui fuit Cſiriſti 283. qui fuit Chriſti 238. incepit annus Iphiti ſive à prima Olympiade 1014. h. ê annus 2. Olymp. 254. Anno 2. Juliano habita eſt Olympias 184. Anno 94. Juliano celebrata 207. Conſtantinus Imperator vita functus eſt anno Chriſti 361. anno 1. Olymp. 385. ut habet Baronius & alii. *Adde Chriſti annis 776. ut habeas annum Iphiti ineuntem.*

8. Urbs condita eſt ſecundum Varronem Olymp. 6. anno 3. deſinente. Ex iis autem, quæ jam attulimus, conſtat illum annum fuiſſe ante æram Chriſti 753. Hinc Baronius aſſerit anno Chriſti 298. expleri annum V.C. 1050. cui reliqui conteſſerant, ſecuti Cenſorinum, qui annum Urbis 991. inchoat anno Juliano 283. ſive Chriſti 238. Deniqve annus Urbis 800. celebratus eſt anno 92. Juliano, Tiberio IV. & Vitellio Coſſ. *Annis Chriſti addantur 753. ut anni V. C. ineuntes numerentur.*

9. Anni Regni Græcorum incipiunt anno ante æram Christi 312. Nam anno Christi 277. quo pestis Manichæa prodiit ab Inferis, censebatur annus Regni Græcorum 588. ut consensu unanimi tradunt Baronius, & alii, qui etiam uno ore asserunt Nicenam Synodum celebratam anno Regni Græcorum 636. Christi 525. mense Junio. *Anni Regni Græcorum ineuntes differunt ab annis Christi labentibus* 312. Si annis Regni Græcorum 12. addideris, summa ostendet annum à morte Alexandri Magni, juxta quantitatem anni Juliáni.

10. Ad æras prædictas addi possunt aliæ quælibet. V. g. à Baptismo. Clodovæi Galliarum Regis anno Dom. 499. Regni Bohemorum, oblati scilicet. S. Wenceslao anno Domini. A Baptismo Mieczislai Ducis Polonorum anno Domini. Regni Hungarorum (â S. Stephano erecti) anno Domini 1000. Imperii Austriacorum, cum videlicet Rudolphus I. Imperii Majestatem accepit, anno Domini 1273. Anni Gregoriani sive Calendarii authoritate Gregorii XIII. correcti anno Domini 1582.

CAPUT IX.

Qui anni à quibus Usurpentur.

DE usu anni emergentis & de Æra jam diximus, Anni magni & speciales cap. 6. explicati à vulgo negliguntur, anni tantum Solares & Lunares ut pote aliis notiores vulgò solent usurpari. Arabes utebant anno 12. Lunationum qui est dierum 354. & $\frac{11}{30}$ quæ fractio adjuncta cum crescebat usqve ad $\frac{15}{30}$ diem intercalabant, & sic centesimo quoqve anno Lunari, sed 2. & 4. quoqve anno adhibebant intercalationem unius mensis, 22. dierum & 23. vicibus alternatis, habita ratione quadrantis. Eum verò interposuerunt post mensem 12. qui dicitur Adar. Ægyptii utebant anno Solari 365. dierum absqve intercalatione diei bissextilis, & sic apud illos spatio 25. annorum retrocedebat per horam unam & 8. min. ac 12. sec.

Primi

Primi Romani auctore Romulo utebantur anno 10. tantum mensium ut plures graves auctores asserunt, incipientes eum à Martio quem Marti Deo belli Romuli Patri putatio dedicârunt. Sed quia Numa Pompilius animadvertebat annum totum illis decem mensibus non compleri duos alios illis adjunxit. Januarium scilicet, & Februarium quos Martio præposuit. Hoc anno Communi postea etiam cæteri Romani longo tempore usi sunt. Sed quia neque is cursui Solis exactè respondebat, propterea Cajus Cæsar Dictator consilio Marci Flaccii Scribæ & Sosigeris Philosophi usus, quarto quoqve anno diem unum intercalandum statuit. Verùm quia progressu temporis neqve ipse exactè cursui cæli respondere visus est, propterea sæpiùs postea à Christianis emendatum est Calendarium, donec tandem jussu Greg. 13. Pont. Max. eo modo reformatum est operâ Lilii, Clavii, & aliorum præstantiss. Mathematicorum ut in posterum Æquinoctia à suis sedibus dimoveri non possint neqve in celebrandis festis mobilibus errorem parere, ut modo citiùs, modo tardiùs quam par esset, celebrent, ut ante hac factum est sæpius, Licet porro Ecclesia Dei communiter præsertim in foro & actionibus civilibus, prædicto anno reformato solis utatur; in festis tamen mobilibus anno Lunari etiam reformato utitur. Quandoquidem in festo Paschatis celebrando, ac proinde etiam in reliquis mobilibus quæ ab ipso dependent, non tàm cursum Solis quam Lunæ considerat licet in rei veritate utrumqve respiciat.

CAPUT X.

De Mensibus Solaribus & Lunaribus.

QUemadmodum anni ita etiam Menses in Solares ac Lunares dividuntur, & quisqve eorum in Civilem & Astronomicum. Mensis *Solaris Civilis* seu Politicus, qui etiam Artificialis & usualis dicitur, est spatium certorum dierum Calendariis

dariis ac Ephemeridibus Vulgaribus inscriptus atqve isti menses inæquales sunt, cùm alii plures alii pauciores contineant dies olim ab antiquis eis assignatos, ut postea videbimus.

Mensis *Solaris Astronomicus* seu naturalis est spatium temporis quo Sol unum Signum Zodiaci peragrat, idqve facit spatio 30. dierum & 13. ferè horarum. Sol enim conficit gradum integrum uno die, sed tantum 59. min, 8. Sec, 19. tert, 37. quart, 19. quint, & 14. Sexta. Ex quo sequitur eum 30. diebus naturalibus non absolvere 30. gradus integros, ac proinde non integrum signum Zodiaci; cùm quodlibet eorum 30. gradibus constet, sed relinqui ferè 36. minuta graduum, ad quæ percurrenda requiruntur fere 13. horæ. Atq; hinc est quod annus non constet solum 360. diebus, quot gradibus constat totus Zodiacus, sed præterea requirantur quinqve dies cum 6. ferè horis. Verùm quia vulgò parum pro nihilo reputatur, communiter uni mensi Solari 30. dies attribuntur, licet Astronomi in suis calculationibus exactiùs rem perpendant & computent. Quamvis porro isti Menses Solares inæquales etiam sint inter se, propter quasdam minutias quibus se mutuò excedunt, quia tamen inæqualitas eorum est admodum exigua, & sensu facilè deprehendi non potest, propterea plerumqve & meritò quidem æquales esse dicuntur. Mensis *Lunaris civilis* seu politicus, quem etiam artificialem & usualem appellant, est Spatium ab una Lunarione ad alteram comprehensum secundum dies integros, atqve hi inæquales sunt; quandoquidem plerumqve alternatim 30. & 29. diebus compleantur, licet aliquando duo etiam æquales se mutuò consequantur. Mensis Lunaris Astronomicus seu naturalis est spatium conjunctione ad alteram præcisè comprehensum computatis etiam horis & fragmentis earum. Atqve hi Menses æquales sunt & complentur diebus 29. cum 12. ferè horis. Præter hanc divisionem Mensium Lunarium

quæ

quæ præcipua eſt & maximè uſitata, datur etiam alia, quâ in tres ſpecies dividitur: Videlicet in menſem peragrationis, apparitionis & conſecutionis. Menſis *peragrationis* eſt ſpatium temporis quo Luna totum decurrit Zodiacum, exiens ab uno Zodiaci puncto & ad idem rediens idqve facit 27. diebus 7. horis, 43. min. 7. ſec. 15. tert. 36. quart. & 55. quintis. Atque hic menſis dicitur etiam *periodicus*, Græcis appellatur περὶ πατος ετ περιο͂δος σιληνης Porrò cum Vulgus paucas minutias non curet præter 27. dies, etiam 8. horas integras, uni menſi peragrationis attribuit, ut ſequens uſus ſignificat.

Percurrit Cyclum viginti Luna diebus
Septenisq; ſuum, bis quatuor inſuper horis.

Ex dictis colligitur diurnum Lunæ motum eſſe 13. graduum 10. min. 34. Sec. 58. tert. 33. quart. & 30. quint. & eam in quolibet 12. Signorum Zodiaci peragrando conſumere duos dies ſex horas, cum 36. minutis.

Menſis *apparitionis* eſt temporis ſpatium quo Luna à radiis Solis egrediens, apparere incipit donec iterum in eosdem ingrediens occultetur Horæ enim combuſtæ, quibus ſcilicet Luna ſub radiis Lunaribus moratur, non computantur. Sic ſicut Menſis iſte 28. diebus conſtet, qui per 4. hebdomados dividi ſolent in quibus Luna, tum in aliis rebus præſertim liquidis, tum verò potisſimum in mari diverſos producit effectus de quibus ſequens traditur verſus

Hebdomada prima collabit æquoris Unda,
Æſtruat Unda maris tanquam fervore ſecunda,
Tertia cogit aquas minui velut igne reducto
Ultima fundit eas ex aëre littore toto.

Et Lucanus

Luna ſuis vicibus Thetyn terrenaq; miſcet.

Cum enim Luna Meridianum tenet in auſtro, ſive punctum oppoſitum, in anguſto terræ, mare plenum eſt; cum verò in

oriente, vel occid. tenet horizontem completè retractum eſt. Verum de his & aliis ejus effectis alibi.
Hic menſis non numero dierum, ſed ratione differt à menſe peragrationis quandoquidem licet totidem quidem non tamen omnino iidem dies illi attribuantur qui illi.

Græcis appellatur φασις φεγγαρελον ετ ἀπόκρυσις σελήνης incipit ferè ſecundo die poſt conjunctionem Luminarium, & deſinit penultimo, hoc eſt pridie ejus diei quo ſit conjunctio ſeu novilunium; tunc eum ferè à radiis ſolis emergit & demergit, atqve adeò apparere incipit & obſervari, licet plures ob cauſas modò citiùs apparere & deliteſcere luna poſſit, ut in theoria planetarum monſtratur. Nam ſi Luna velox curſu fuerit, citiùs apparet & deliteſcit quàm ſi tarda, item citiùs in latitudine ſeptemtrionali quàm auſtrali, etiam citius in climatibus magis ſeptemtrionalibus, quando conjunctio ejus cum ſole fit inter vitia 69. & 70. plerumqve tamen ut ſupra dictum eſt ſecundo die.

Menſis *conſecutionis* eſt ſpatium quo Luna à Sole digrediens eundem aſſequitur. Seu ſpatium inter duo novilunia quod continet 29. dies cum 12. ferè horis, ut ſupra de menſe naturali Lunæ dictum eſt. Cum enim Luna totum Zodiacum percurrat 27. diebus 7. horis 43. min. 7. Sec. Sol dicto tempore in Zodiaco decurrat ferè 27. gradus quos Luna duobus quaſi diebus peragrat, neceſſe eſt ut prædictum tempus conſumat donec rurſus ſolem aſſequatur ac ſub ipſo collocatur. Hic menſis Græcis dicitur συνοδος σελήνης Latinis Menſis aſſecutionis ſeu conſecutionis, quem pleriqve menſem Synodicum appellant. Eum dividunt in 4. quartas ſeu ætates, quarum primam dicunt eſſe calidam & humidam; Secundam calidam & ſiccam; tertiam frigidam & ſiccam; quartam frigidam ac humidam, ac perinde primam ſimile aeri, 2. igni, 3. terræ, 4. aquæ. Ex hoc triplici genere menſium Lunarium primum Mathe-

Mathematicis relictum fuit, secundum & tertium etiam in Mensibus civilibus locum habuerunt. Secundum quidem apud Judæos, Samaritanos, Chaldæos, Damascenos & Hagarenos: tertium autem apud Athenienses illi enim Neomenias suas computabant ἀπὸ τῆς φάσεως hoc est a die Apparitionis hi autem ἀπὸ τῆς συνόδου hoc est ac ipso die conjunctionis.

Hic vero observandum est 1. Lunationem parium dierum tribui mensibus imparibus & e contra, scilicet impari numero a primo distantibus. unde natus est versiculus:

Impar Luna pari, par fiet in impare mense

Quare, primus, tertius, quintus & cæteri numero impari a primo dissonantes habent dies 30. secundus autem, quartus, sextus & cæteri qui a pari numero secundum ordinem cognominentur habent 29. Hæc tamen regula est vera in anno communi: in anno bissexto autem non servatur in Februario, propter diem qui illi additur. Quare eo anno Februarii, Lunatio erit dierum 30, quamvis alioqui ille mensis sit in numero parium. 2. Lunationem dici ac haberi illius mensis in quo terminatur. Unde versiculus

In quo completur, mensi Lunatio detur

Quodsi duæ lunationes finirentur in eodem mense, altera videlicet primo die, altera ultimo, tunc altera earum irregularis erit & mediante Embolismo continget. 3. Quoties Lunatio Martii, incipit ante locum Bissexti, & fit annus Bissextus, tunc ubi deberet esse prima Lunatio Martii, ibi fore ac dicendam esse trigesimam Lunam Februarii, ubi verò est secunda Luna Martii ibi incipere primam Martii. Alioquin Lunatio Martii esset 31, dierum, quod est absurdum.

CAPUT XI.

De Nominibus & quantitate Mensium.

MEnses Civiles primum à Romulo tantum 10. instituti fuere. Ut supra diximus, sed quia annum non complebant,

poſtea à Numa Pompilio duo alii adjecti fuere, ut in univer-eſſent 12. qui in hodiernum usqve diem à plerisqve nationibus uſurpantur. Eorum aliqui ſua nomina ſortiti ſunt ab iis qui-bus primo dicati fuêre, alii à conditione anni, alii ab ordine. *Januarius* dictus fuit a Jano bicipite, eo quod duplicem re-ſpectum habeat, unum ad annum præteritum quem termina-bat, alium ad futurum quem inchoabat. Vel a Janua, eò quod per ipſum tanquamper januam in novum annum eſſet ingreſſus.

Februarius à Februa Dea, vel à februis hoc eſt purgatio-nibus quæ eo menſe pro defunctis fiebant.

Martius a Marte Romuli Patre. *Aprilis* ab aperiendo eò quod tunc terra aperiatur & flores appareant. Vel di-citur *Aprilis* quaſi Aphrilis quod eſt ſpuma maris, de qua Venus nata fingitur, quæ fuit principium generationis Romuli ex parte Matris ſuæ. *Majus* à Majoribus, hoc eſt Senatori-bus, qui ad reip. gubernacula ſedebant. *Junius* à junioribus quod ad bellum proficiſcebantur. Hæc omnia conſonant verſibus Ovidii qui de his menſibus ſic canit

Martis erat primus menſis, Venerisqve Secundus
Hæc genius Princeps, ipſius ille pater.
Tertius à Senibus, juvenum de nomine Quartus
At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras
Menſibus antiquis præpoſuitque duos.

Reliqui Sex Menſes ab ordine cognominati fuerê. Quotus enim quisqve eorum erat à Martio, qui primus in menſibus numerabatur, ab eo etiam numero cognominabatur ut Quin-tilis, eò quòd quinto loco poſt Martium ſequeretur. Sextilis, eò quod ſexto, ſic eadem de cauſâ September, October, No-vember & December denominati fuerè. Quintilis tamen po-

ſtea

ſtea ad honorem Julii Cæſaris, Julius appellatus eſt, & Sextilis in Honorem Octaviani Auguſti, Auguſtus dictus eſt, quæ nomina hucusque durant & uſurpantur.

Quot autem quisqve menſium iſtorum dies habeat hoc ſequenti verſu cognoſcitur

Junius, Aprilis, Septemque Novemqve tricenos
Unum plus reliqui, ſed Februus octo Vicenos
Cui ſi biſſextus fuerit ſuperadditur unus
Et tunc bis ſexto Marci conſcribe Calendas.

Cauſa inæqualitatis menſium eſt iſta: Principio cuilibet menſi 30. dies attributi fuêre ut in univerſum eſſent 360. quod videlicet ſunt gradus in Zodiaco. Quia vero Sol non quolibet die gradum integrum abſolvit, & inſuper propter motum augium nonnihil impeditur, propterea dies adhuc quoque deſiderabantur. Unus ergo fuit additus Januario, alius Martio, tertius Majo, quartus Julio, quintus Octobri, Cæterum Octavianus Auguſtus volens menſem ſuum æqualem eſſe menſi Julii Cæſaris abſtulit à Februario diem unum quia erat menſis luctûs & mœſtitiæ & adjunxit illum ſuo menſi, Demum Aſtrologi Romani abſtulerunt aliam diem Februario & attribuerunt illum Decembri, ſic factum eſt ut Februario tantum 28. dies remanſerint, cui tamen in compenſationem quarto quoque anno dies unus reſtitutus fuit, qui tum ſolet intercalari.

Aliæ Nationes ut Judæi, Chaldæi, Græci, Agareni, Perſæ, Armeni, Mahumetani, Koplici *&c. alia menſium nomina habuerunt* & plerumque tredecim menſibus utebantur. Cum enim pleræqve menſibus Lunaribus uterentur, quorum 12. annum integrum non complebant, decimum tertium emboliſmum, fulciendo anno cavo, reliquis adjecerunt, qui ex diebus Solis ſuperfluis conſurgebat, & variis annis ac temporibus anni intercalabatur. Hos omnes Menſes alii propriis nominibus

bus notabantur omnes supra nominati; alii tantum ab ordine eos appellabant, ut Sini, Japonenses, Indi, & nonnulli alii, in quibus erant etiam Judæi ante exilium Babilonicum. Nam ut quisque à primo novilunio anni primus erat, vel secundus aut tertius usqve ad duodecimum vel decimum tertium, ita etiam à numero primum, secundum vel tertium &c. nominârunt; post reditum autem ex Babilonia propriis eos nominibus designarûnt, quæ fuerunt Nisan, Zius sive Jar, Sivan, Tamuz, Ab, Elul, Ethanum sive Tisri, Bul sive Mareshuan, Casleu, Thebet, Sebat, Adar priòr ac posteriòr, qui respondebant, Martio, Aprili, Majo, & reliquis ordine sequentibus. Ex his autem alii 30. dies alternatim habuerunt, alii 29. Unde illi pleni hi cavi, vocati sunt, *Prioris appellationis à numero deductæ testimonio est caput 40. Exodi, ubi sic legitur. *Mense primo, quarta decimâ die mensis ad vesperam Phase domini est.* Et Num. 9. *Faciat phase Domino in Mense secundo, quarta decima die Mensis ad Vesperam.* Et Paralip. 27. *Primæ turmæ in primo Mense Jesbean præerat. Secundi Mensis habebat turmam Dudia. Dux turmæ tertiæ in mense tertio erat Barnaias. Quartus mense quarto Azachel. Quintus mense quinto Samoch* atq; ita deineeps usque ad duodecimum. De nominibus aliis postea mensibus inditis docet quintum tertii Esdræ ubi sic habetur: *In secundo anno regni ipsi mense Nisanus primo.* Et tertium Esther. *Mense primo cujus vocabulum est Nisan.* Baruc primum *Decimâ die mensis Sivan.* Sextum secundi Esdræ. *Vicesimo die mensis Elul.* Zachatiæ 7. *in quarta Menssis noni, qui est Casleu.* Primi Mach. 16. mense undecimo, *hic est Mensis Sabath.* Esther 16. *Mensis duodecimus, qui vocatur Adar.* Sextum tertii Regum *Mense Zio, ipse est Mensis secundus.* Item, *Anno quarto fundata est domus domini in Mense Zio, & in anno 11. mense Bul ipse est mensis 8. perfecta est domus.* Et 8. *convenit Israël in Mense Belhanim, sive Etharim, in solenni die, ipse est mensis Septimus.* At quia Lunares menses

menſes ſunt, propterea non ſemper menſibus Romanorum reſponderunt. ſed ſæpè in binos ſinguli incurrerunt.

Alia Nomina Menſium & Initia quibus utitur S. Scriptura vel alii antiqui juxta aliorum diſpoſitionem.

Ægyptiorum.		*Syrochaldaici.*	*Græci his correſp. Lat.*	
1. Thoth incipit	29. Aug.	Tiſrin prior	Hyperpereteus	31. Octobr.
2. Parophi	28. Sept.	Tiſrin poſterior	Dius	30. November
3. Athyr	27. Oct.	Canun prior	Apelleus	31. December
4. Cocaz	27. Nov.	Canun poſterior	Audineus	31. Januarius
5. Tybi	27. Dec.	Sabat ſive Aſbat	Peritius	28. Febr.
6. Mechir	26. Jan.	Adar	Diſtrus	31. Martius
7. Phamenoth	25. Febr.	Niſan	Xanticus	30. April
8. Pharmuthi	27. Martii	Jiar	Artemiſius	31. Majus
9. Pachon	26. April	Haziran	Dæſius	30. Junius
10. Payni	26. Maij	Tamut	Panemus	31. Julius
11. Ephiphi	25. Juni	Ab	Lous	31. Auguſtus
12. Meſſori	25. Juli	Elul	Gorpiæus	31. Septembr.

Dein a 24. Auguſti incipiendo addebantur dies 5. triennio & quarto anno 6. inſuper.

Dies.

Niſan 1. &	2. April	Siar 1.	2. May
Sivan 1.	31. May	Tamuz 1.	3. Jun.
Ab 1.	29. Jul.	Elul 1.	28. Aug.
Tisſri 1.	26. Sept.	Marcheſvvan	26. Octob.
Casleu 1.	24. Nov.	Tebeth 1.	24. Dec.
Sebat. 1.	22. Jan.	Adar 1.	21. Febr.

Alternatum habere dies 30. & 29. ita Rab. Adda.

Menſes variarum Nationum.

Romanor.	*Græcorum.*	*Achivorum.*	*Bytiniorum.*	*Cypriorum.*
Januarius	Audyneos	Didimneos	Ireos	Aphrodiſios
Februarius	Peritios	Peritios	Ermos	Apogonicos
Martius	Diſtros	Diſtros	Metroos	Alnicos
Aprilis	Xanticos	Xanticos	Dioniſios	Junios
Majus	Artemiſeos	Termiſeos	Hiraclios	Cæſarios
Junius	Deſias	Deſios	Dios	Sebaſtos
Julius	Panemos	Panemos	Bendigæos	Autocratoricos
Auguſtus	Loos	Loos	Stratigios	Diamarpſexoſios
September	Gorpiaæos	Gorpiæos	Arios	Plethytatos
October	Hyperberetæos	Aegoceros	Periepias	Archiereus
November	Dios	Idrochoos	Aphrodiſios	Eſthios
December.	Apelleos.	Eſchihis	Dimitrios.	Romeos.

Nomina

Nomina Mensium apud Diversas Nationes.

Romanorum.	*Athenienfium.*	*Macedonam.*	*Cappadocum.*	*Ægyptiorum.*
Januarius	Posſideon	Ægeceros	Tirix	Turh
Februarius	Gamilion	Hydrochoos	Mata	Bala
Martius	Antheſtirion	Ichtys	Xanthir	Hetur
Aprilis	Elaphibolion	Cryos	Mithri	Heybich
Majus	Munichion	Tauros	Apomenama	Toba
Junius	Targilion	Dydimi	Arthra	Amihur
Julius	Scirophonion	Carcinos	Teihuſia	Barmaer
Auguſtus	Ecatombeon	Leon	Osmonia	Baraioda
September	Matagitnion	Partenos	Sonto	Bixbuoch
Octobor	Boidromion	Zigos	Artacſtin	Zuba
November	Pianepſion	Scorpios	Arcotata,	Abili
December	Memactirion.	Toxotis		Mazre.

Romanor.	*Perſarum.*	*Arabum.*	*Hebræorum.*	*Babylonicorum*
Januarius	Formidech	Almuharaz	Tiſrim 1.	Tisri
Februarius	Ardaimech	Saphar	Tiſrim 2.	Marheſuam
Martius	Cardaimech	Rabe 1.	Remiz 1.	Clisleu
Aprilis	Zimech	Rabe 2.	Remiz 2	Tevet
Majus	Mardai	Gemedi 1.	Sabath	Sevar
Junius	Sarembemech	Gemedi 2	Adar	Adar
Julius	Maheramech	Rage	Niſan	Niſan
Auguſtus	Ebenmech	Sahaben	Idar	Viar, Jar.
September	Idramech	Romadam	Aziram	Sivan
October	Dimech	Sauel	Tamuz	Tamuz
November	Behmemech	Dulchida	Abh	Ab
December.	Arfirdamich	Dulcheya	Eyul	Elul.

CAPUT XII.

De Septimana & Nominibus dierum.

SEptimana quaſi ſeptem manè, quæ etiam hebdomas dicitur, ſpatium eſt ſeptem dierum qui à variis Diis quos Romani colebant, & variis planetis cognominati fuerunt, quisque ab eo qui primâ horâ illius diei dominari putabatur. Hinc primus dies à Sole, Dies ſolis dicebatur, eò quòd Sol prima hora ejus diei principatum teneret. Secundus autem à Luna, dies Lunæ

næ dicitur, eo quod Luna prima hora ejus diei dominaretur Simili etiam de Causa tertius dies Martis, quartus Mercurius quintus Jovis, sextus Veneris, septimus Saturni dictus est. Judæi eos dies à Sabbatho cognominaverunt. Dicebant enim primo vel uno die Sabbathi, secundo vel altero die Sabbathi, tertio die Sabbathi; & hinc Marci 16. de Resurrectione Christi dicitur. Et *valdè manè una Sabbathorum.* Et mox. *Surgens mane prima Sabbathi*; Et S. Mathæus *Vespere Sabbathi quæ lucescit in prima Sabbathi,* id est vespere ejus diei cui succedit primus septimanæ sive vespere precedente primum diem septimanæ. Et Actorum 20. *Unâ Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem.* Est autem prima sive una Sabbathi quam nos Christiani Dominicam vocamus, quam teste S. Hieronymo intellexit etiam S. Paulus cum in 2. ad Cor. 16. præcepit *per unam autem Sabbathi unusquisq; vestrûm apud se reponat.* Septimum autem quemq; diem septimanæ sine adjectione absolutè Sabbathum appellârunt, hoc est rquiem, quod eo die post opus sex dierum Deus quievisset. Totam etiam septimanam quandoque nomine Sabbathi significabant. Hinc Pharisæus Luc. *Jejuno bis in Sabbatho.* Christiani auctoribus Sylvestro Summo Pont. & Constantino Imperatore, dies Septimanæ â numero cum adjectione feriæ cognominandos esse decreverunt, ut quemadmodum à gentilibus & Judæis distinguuntur religione ita etiam dierum appellatione; & præterea ut significarent homini Christiano semper cultui Divino vacandum, quasi perpetuas ferias haberet. Primam tamen feriam absolutè Dominicam Diem appellârunt. Secundam autem quæ est dies Lunæ, feriàm secundam, diem Martis feriàm tertiam & sic reliquos suo ordine. Nomen autem Sabbathi retinuerunt propterea, quòd quemadmodum Deus olim tali die creatis omnibus rèquievit ab omni opere quod patrârat, ita etiam

Christus Dominus Servator noster requieverat in Sepulchro finito omni opere recreationis ac redemptionis nostræ.

CAPUT XIII.

De die & ejus partibus.

DIes est duplex Naturalis & Artificialis. *Naturalis* qui etiam Astronomicus dici potest, est spatium temporis quo sol motu primi mobilis revoluit ab uno puncto fixo ad idem punctum. Vel sit revolutio æquinoctianalis circa terram cum ea parte, quanta respondet illi parti Zodiaci quam interim Sol pertransit proprio motu ab Occidente in Orientem, contra motum primi mobilis, donec ad idem punctum à quo recessit revertatur Isti dies noctem simul & diem artificialem comprehendunt, secundum illud Gen. 1. *Factum est vespere & manè dies unus.* Et illud S. Ambrosii quod ab Ecclesia usurpatur. *Qui manè junctum Vesperi, Diem Vocari præcipis*, completurqve spatio 24. horarum. Isti dies etsi non multum inter se discrepent, sunt tamen præcisè loquendo inæquales tàm in Sphera recta quam obliqua, In Sphæra quidem recta, ubi scilicet uterque polus est in horizonte, propter obliquitatem Zodiaci, & propter eventricitatem deferentis corpus solare, in Sphæra autem obliqua (cum scilicet alter polorum supra horizontem elevatur alter infra eum demergitur) tum propter has causas dictas, tum etiam propter obliquitatem horizontis, nam propter omnes istas causas inæquales partes Æquatoris addi debent ad totam conversionem ejus variis diebus, eò quôd ascensiones arcuum Zodiaci, quibus additamentum æquatoris respondere debet, semper sint inæquales. Verùm licet ita res se habeat diesque isti naturales præcisè exactè loquendo sint inæquales non solum in diversis locis, verùm etiam in uno & eodem, quia tamen ea differentia

parva

parva est, & sensu deprehendi non potest propterea vulgò æquales habentur, & spatio 24. horarum definiuntur.

Dies *Artificialis*, qui etiam Civilis Politicus & Usualis dicitur, est spatium temporis quo Sol supra horizontem commoratur. Isti dies non tantum in diversis locis, verum etiam in eodem notabiliter crescunt & decrescunt, pro vario accessu & recessu solis, & varia poli elevatione. Omni tamen die quantumvis longa sit aut brevis, sex signa Zodiaci oriuntur ac totidem etiam omni nocte: & sex alia infra horizontem demerguntur, in quavis elevatione poli quæ est infra 66½. gradus, Diem naturalem veteres in vigilias dividebant; quarum prima erat à vespere, 2. à media nocte, 3. a manè, 4. à meridiè. Diem autem civilem in tres partes, matutinum scilicet tempus quod est post ortum solis, meridianum, quod est à medio die: & Vespertinum, qui est paulò ante occasum solis. Alii deinde horis utrumque diem distinguebant, alii actionibus alii aliter. Sed de hoc etiam sequenti capite.

CAPUT XIV.

De Nocte & ejus partibus.

NOx est privatio lucis ab umbra terræ causata, seu mora solis infra horizontem, Et crescit & decrescit ut dies, tam in eadem quam in diversa poli elevatione propter easdem causas propter quas dies, cui semper in opposito signo & anni tempore æqualis est. Ejus 7. sunt partes, videlicet, vesper, crepusculum, conticivum, intempestivum, gallicinium, matutinum, & diluculum sive aurora.

1. Vesper est ea pars quæ proximè post Solis occubitum contingit, in qua adhuc lucidum est.

2. Crepusculum ea pars temporis nocturni quâ est lux dubia.

3. Conticivum sivè Concubitum aut Concubia nox quando omnia silent.

4. Intempestivum, est medium noctis.

5. Gallicinium cum post mediam noctem galli canere incipiunt.

6. Matutinum seu crepusculum quando aliquantulum illucescit nec tamen adhuc est certe lux.

7. Diluculum & aurora, cum dies clarescere incipit usque ad ortum solis.

Judæi & plures ex veteribus totam noctem in 4. vigilias distribuerunt, quarum quælibet tres horas planetarum durabat, ita ut prima inciperet à Solis occasu, secunda à quarta noctis, tertia a septima, quarta à decima Hinc Christus Dominus Luc. 12. *Et si venerit in secunda vigilia & si in tertia vigilia venerit & ita invenerit, beati sunt servi illi.* Sed jam tabulam quantitatis dierum apponamus, incipiendo ab *Europa.*

In finibus Hispaniæ meridiem versus Granatæ horarum 14. min. 38. Boream versus ad mare Aquitanicum Navarræ, & orientem versus ad mare Atlanticum, ubi est Compostella, horarum 15. min. 12. In finibus Angliæ meridiem versus ad Oceanum Britannicnm qui Galliam ab Anglia dividit horarum 16. minut. 30. Septentrionem versùs in Insula Sethlant, vel Hitlant horarum 18. min. 32.

In finibus Galliæ, ubi jungitur Hispaniæ, meridiem Versus ad mare Gallicum horarum 15. min. 4. Septentrionem versus ad Oceanum Britanicum horarum 16. minut. 10.

In finibus Italiæ, ad mare mediterraneum, ubi jungitur Siciliæ horarum 14. min. 38. Septentrionem versus ubi jungitur Germania horarum 15. min. 34.

In Sicilia horarum 24. min. 34.

In finibus Septemtrionalibus Austriæ, ubi jungitur Bohemiæ, horarum 15. min. 52. In

In Lombardia horarum 15. min. 18.

In Dalmatia, horarum 15. min. 12.

In Croatia horarum 15. minut. 34.

In finibus Germaniæ, ubi jungitur Daniæ horarum 16. min. 44.

In finibus Daniæ Septentrionem versus supra sinum maris Germanici, qui dividit eam à Norvegia, & Gottia, horarum 17, min. 36. Hæc ipsa longitudo diei est in media Gottia & in finibus Noruegiæ, supra mare Germanicum.

In finibus Septentrionalibus Livoniæ, ad sinum Finnicum horarum 18. min. 32.

In finibus Moschoviæ ubi jungitur Russiæ septentrionali horarum 18. min. 32.

In Tartaria, ubi jungitur Ducatui Severiensi, horarum 16. min. 20.

In finibus Lappiæ Australibus, horarum 22. min. 20.

In Curlandia, horarum 17. min. 36.

In Samogitia horarum 17. min. 20.

In finibus Prussiæ, ubi jungitur Samogitiæ, & in finibus Pomeraniæ ad mare Balticum, horarum 17. min. 8.

Vilnæ in Lithvania horarum 17. min. 2.

In Masovia horarum 16. min. 24.

In finibus Poloniæ, ubi jungitur Hungariæ mediantibus montibus Carpatiis horarum 16. min. 0.

In Transylvania; horarum 15. min. 38.

In Valachia horarum 15. min. 30.

ASIA.

In Catajæ medio, Regno primario Magni Cham Tartarorum horarum 19. min. 18.

In finibus Chinensis Regni, ubi dividitur muro à Tartaris, horarum 17. min. 8. In finibus ejusdem Regni australibus horarum 13. min. 42.

In Malabarica Provincia; horarum 12. min. 42.

In finibus Persiæ Australibus ad mare Arabicum, horarum 13. min. 34. In finibus ejusdem Septentrionalibus ad mare Hircanum sive Caspium, horarum 15. min. 4.

AMERICA SEPTENTRIONALIS.

In Nova Francia horarum 15. min. 42.

In Nova Hispania. ubi est nova Compostella horarum 13. min. 22. Eadem longitudo est in finibus Americæ Meridionalis Septentrionalibus.

In Frislandia, horarum 22. min. 20. idem in Grœlandia.

AFRICA.

Ad Garamantes, horarum 13. min. 12.

In Finibus Africæ, ubi ab Europa mari dividitur, propè fines Hispaniæ, horarum 14. min. 42.

Inter Americam Septentrionalem, & Africam in Insulis Canariis, seu Fortunatis, horarum 13. min. 4.

Inter Americam Sept. & Europam, In Insulis Flandricis horarum 14. min. 42.

Inter Africam & Americam Meridionalem. In Insulis Hesperidum, horarum 18. min. 42,

In Cypro Insula, quæ est in mari mediterraneo horarum 14. min. 22.

Utrum alicubi sit dies major quam 24. horarum?

Paradoxum multis afferunt Mathematici, de duratione continua diei, per medium annum, & noctis similiter per medium annum. Verùm rem hanc adeò certum esse constat, ut probatione non indigeat, sufficiet sola locorum appositio in quibus dies major est quàm horarum 24.

Et in primis in eleu poli gr. 66. min. 30. dum ☉ est initio ♋ dies est horarum 24. Quod accidit in Europa, in media Grœlandia, in media Islandia, ultra medium Sueciæ, ultra medium Norvegiæ, in finibus Samojedæ, in finibus septentrio-

ptentrionalibus Americæ Septentrionalis. In Asia in finibus Septentrionalibus Catajæ, primarii regni Magni Tartarorum Cham, milliaribus germ. 105. à finibus ejusdem regni.

In elevatione poli gr. 71. dies continua est à 15. Maij ad 30. Juli, nox continua a 17. Novembr. ad 26. Januarii. Hoc est in finibus Norvegiæ Septentrionalibus, in finibus australibus Novæ Zemlæ, in ipsis finibus Catajæ Regni Tartarorum. In elevatione poli gr. 76. in finibus australibus Neylant. dies continua a 27. Aprilis, ad 28. Augusti, nox continua a 30. Octobris ad 13. Februarii.

In elevatione poli gr. 77. In finibus Septentrionalibus Novæ Zemlæ, à 21. Aprilis, ad 24. Augusti dies continua à 24. Octobris ad 19. Februarii, nox continua:

In elevatiene poli gr. 80. In finibus Neylant Septentrionalibus continua dies a 15. Aprilis, ad 30. Augusti, nox continua, ab 8. Octobris ad 25. Februarii.

In elevatione poli grad 82. in mari glaciali, quo Hollandi anno 1614. pervenerunt. continua dies. a 9. Aprilis ad 5. Septembris & a 12. Octobris ad 3. Martii nox continua.

Deniqve in eodem mari glaciali, ubi polus arcticus reperitur in Zenith, a 21. Martii, ad 23. Septembris, Sol nunquam occumbit, & a 23. Sept. ad 21. Martii nunquam oritur.

Dies Astronomicus æqualis est gr. 360. 59. min. 80. sec. 20. tert. Seu horarum 24. 13. sec. 56. tert. 32. Cum major oritur pars Ecclipsicæ quam æquatoris, tunc major dies justo, & è contra. Signum Zodiaci Sol conficit diebus 30. horis 10. min. 30. ferè, uti etiam supra attigimus. Quodsi quis velit pro singulis poli elevationibus, quantitatem diei maximæ invenire; sinus altitudinis æquatoris, ad sinum altitudinis vel depressionis Poli est, sicut sinus complementi maximæ declinationis ad sinum totum.

Dies

Dies Maxima.

Pol.	Horæ	Min.
1	12	3
2	12	7
3	12	10
4	12	14
5	12	18
6	12	21
7	12	24
8	12	27
9	12	30
10	12	33
11	12	37
12	12	41
13	12	45
14	12	49
15	12	53
16	12	57
17	13	1
18	13	5
19	13	9
20	13	13
21	13	17
22	13	21
23	13	25
24	13	24
25	13	33
26	13	37
27	13	41
28	13	46
29	13	5
30	13	56
31	14	1
32	14	6
33	14	12
34	14	18
35	14	24
36	14	29
37	14	34
38	14	39

Polus	Dies	Horæ
39	14	45
40	14	51
41	14	57
42	15	4
43	15	11
44	15	18
45	15	25
46	15	33
47	15	42
48	15	51
49	16	0
50	16	10
51	16	20
52	16	31
53	16	42
54	16	54
55	17	8
56	17	22
57	17	36
58	17	50
59	18	5
60	18	55
61	18	55
62	19	20
63	19	50
64	20	22
65	21	22
66	22	20

Polus	Dies	Horæ	Min.
67	24	1	40
68	42	1	16
69	54	16	25
70	64	13	46
71	74	0	0
72	82	6	39
73	89	4	58
74	96	17	0
75	104	1	4
76	110	7	27
77	116	14	22
78	122	17	6
79	127	9	55
80	134	4	85
81	139	13	36
82	145	6	43
83	151	2	6
84	156	3	3
85	161	5	23
86	166	11	28
87	171	21	47
88	176	5	29
89	181	21	58
90	187	6	39

Dies

Dies eſt motus Solis à primo mobili impreſſus quo revolvitur à meridiano ad eundem, & quia hic eſt regularis, in omne Spæra, ab Aſtronomis aſſumptus. Unde æquator per annum revolvitur 366. vicibus; ſingulis autem diebus tantum accedit revolutioni quantum Sol proprio motu conficit, Hoc vocatur additamentum medium, eſtque æquale Solis medio motui annuo, quia æqualiter ſemper hic medius motus procedit. Additamentum verùm eſt aſcenſio recta Solis veri motûs, quia duplex eſt varietas in diebus vel apparente anomalia Solis, vel in æquali aſcenſione partium Eccliptic æ, hanc utramque aſcenſio recta vero motui ſolis correſpondens complectitur.

Dies naturalis alia æqualis, alia inæqualis propter inæqualitatem additamenti medii & veri. Naturalis æqualis eſt revolutio integra æquatoris, & particulæ æqualis ei, quam ei quam ſol in Zodiaco à medio æquinoctio confecit confecit.

Quantitas diei æqualis naturalis invenitur, quia æquator habet 360. Motus autem ſolis diurnus à medio Æquinoctio fit ſcrupulorum 59. 8. ſec. 20. tert. igitur naturalis æqualis dies Aſtronomica habebit ſcr. 360. 59. ſec. 8. tert. 20. ſeu horas 24. 3. ſec. 56. tert. 32. Itaque vel ut ἐγγίςα dicam 24. horas minuta temporis 4, Itaqve ex ſolo medio motu quantitatis dierum mediocrium dignoſcitur. Verus ſeu apparens dies naturalis, quo totus æquator revolvitur & præterea pars æquatoris quæ vero motui ſolis in Zodico reſpondet. Superat quandoqve medium quandoque minor modica: maxima differentia gr. $7\frac{3}{5}$

Cauſæ hujus inæqualitatis dierum quia motus ſolis verus in ſingulas dies variat & ſolum initio ♈ & ♎ cum æquali motu congruit, eſtque tunc 56. Item ſegmentis Zodiaci æqualibus non æqualia æquatoris ſegmenta reſpondent. Itaque medius ſolis motus æqualis, verus inæqualis. Ptolo-

mæi tempore Sol in hemicydo Boræo erat dies 187. in Austrino 178. cum quadrante. Nunc in Boreo dies 186. horas 8. scrup. 12. prim. 44. Austrino dies 173. hor. 21. prim. 42. sec. 25. Causæ hujus mutatio Apogæi & Eventrici. Item quadrantem à Verno æquin. ad solstit. Ptolomæi tempore diebus 94. cum $\frac{1}{2}$. a solstitio ad æquin, autumni 92. cum $\frac{1}{2}$. Nunc à verno æquin. ad solstitium æstiv. diebus 92. hor. 21. prim. 55. sec. 51. à solstit. æst. ad æquin. aut. diebus 93. hor. 10. prim. 16. sec. 53. ab æquin. aut. ad Solstit. hyberniim diebus 89, hor. 17. prim. 2. sec. 44. A solstit. hyberno ad æquin. vernum dies 89. hor. 4. prim. 39. sec. 41.

Secunda causa, quia plus vel minus oritur de Ecliptica quam de æquatore.

CAPT XV.

De partibus medicis dierum.

POtest dies tàm naturalis quàm artificialis alio etiam modo quàm diximus dividi. Naturalis quidem secundùm Medicos in 4. quadras distinguitur, quarum prima est ab hora noctis nona usque ad tertiam diei, calida & humida in qua sanguis movetur. Secunda à tertia diei artificialis usque ad nonam ejusdem, calida & sicca in qua cholera eventilatur. Tertia à nona diei artificialis usque ad tertiam noctis, frigida & sicca in qua melancolia multiplicatur. Quarta à tertia hora noctis usque ad nonam ejusdem frigida & humida, in qua phlegma fluctuat quæ omnia sequentibus versibus significantur.

Tres lucis primas, noctis tres sanguinis unas
Vis Choleræ medias. lucis sex vendicat horas
Datque Melan primas noctis, tres lucis & imas
Centrales ponas, sex noctis phlegmatis horas

Intelliguntur autem hic horæ planetarum, quarum sex cuilibet

cuilibet quadræ attribuuntur, ut perinde sint ejusmodi quadræ, seu quadruplices diei partes inter se inæquales sicut & ipsæ horæ quibus definiuntur.

Dies artificialis similiter in 4. quadras ab auctoribus dividitur, quarum prima dicitur rubens, 2. splendens, 3 urens, 4. tepens. Hinc sol 4. æquos habere fingitur quorum nomina sunt hæc. Eous, Lampas, Pyrois & Phlegon. Unde versus:

Solis equi lucis dicuntur quatuor horæ
Hæc rubet, hæc splendet, hæc calet, illa tepet.

De Variis principiis diei.

Dies Naturalis secundum varias nationes & hominum studia variâ sortitur initia. Astronomi diem incipiunt à Meridie, quos Arabes, Umbri, Ægyptii Alexandrini sequuntur. Babilonii cum reliquis Chaldæis ab ortu solis eum inchoabant, quos etiamnum sequuntur ex Germanis Norimbergenses & quidam alii. Græci, ut Athenienses & aliqui Ægyptii cum plærisque Italis & Bohemis ob occasu Solis. Hypparchus olim & quidam alii à media nocte. Aliqui numerant horas diei artificialis ab ortu, & horas noctis ab occasu ut olim Judæi. Germani, Galli, Hispani, Poloni, Angli & pleræque aliæ nationes tàm novi quàm antiqui orbis numerant 12. horas à meridie usque ad mediam noctem, & totidem alias à media nocte usque ad meridiem. Hos etiam Mathematici sequuntur in instrumentis, ac Geographi, non autem Astronomi in supputandis tabulis, neque Astrologi in divinationibus. Ecclesia DEI quoad varia varios sequitur. Quod ad celebrationem Divinorum officiorum attinet, incipit diem vespertino tempore. Quod ad esum carnis & jejunium, à media nocte. Quod ad armistitii & festorum observationem Civilem & Contractûs ab ortu Solis. Generatim tamen loquendo dici potest jam diem naturalem incipere à media nocte,

propter Dominicam incarnationem, Nativitatem, & Resurrectionem eò quòd tunc *Lux mundi ac Sol justitiæ* qui est Christus Dominus, qui dicitur Lux, venerit in mundum, ac Sol justitiæ ut idem appellatur tunc sit exortus. Hinc communiter & rectè quidem dici solet, olim à conditu orbis diem præcessisse noctem; revera enim ab initio prius fuit dies quam nox. Nunc autem post Christi Resurrectionem noctem præcedere diem, eo quod status gratiæ mediâ nocte cum Christi adventu inceperit. Potest tamen hoc dictum etiam spiritualiter intelligi. Olim enim ante Christi adventum & Resurrect. ex luce & prosperitate descendebant ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, hoc est ad limbum; nunc verò ex tenebris & adversitate hujus mundi, ex hac lachrymarum valle & corpore mortis hujus ad gaudia lucis perpetuæ.

CAPUT XVI.

De Nonis Idibus & Calendis.

TRes in quolibet mense dies sunt celebres qui soli propriis nominibus appellantur, & aliis appellationis nomen dederunt. Videlicet Calendæ, Nonæ, & Idus, quos Romani propter dies festos, vel officia Magistratuum, instituerunt. Dicuntur autem Calendæ quasi à Colendæ, eo quod primo die cujuslibet mensis coleretur Juno. Hinc Ovid.

Vendicat Æusonias Saturnia Juno Calendas.

Vel dicuntur à καλῶ quod est voco, præco enim primo die cujuslibet mensis ex loco eminentiori populum ad nundinas convocabat. Nonæ dicuntur à nundinis quæ certo die cæptæ per 4. aut 6. dies durabant pro numero nonarum cujuslibet mensis. Vel dicuntur à novem quod dies ille nonus esset ante Idus. Idus dicuntur ab antiquo verbo iduo quod est separo, eo quod tunc esset divisio nundinarum aut mensis,

quem

quem fere in duas partes æquales dividunt. Aliqui putant Idus ab edendo dictos, eo quod illi dies epularum essent. Verùm undecunqve sint dicta hæc nomina, constat ea certis diebus mensis imposita à quibus deinde nominibus reliqui etiam dies ex ordine nominantur.

A Nonis quidem & Idibus, dies ejusdem mensis; à Calendis autem dies alterius mensis; ab omnibus autem dies præcedentes. Ut autem rectè denominare possimus cæteros dies, scire oportet quot quisqve mensis Nonas Idus & Calendas habeat. Numerus Nonarum & Iduum ex sequenti versu cognoscitur.

Majus sex Nonas October Julius & Mars.
Quatuor at reliqui. Dabit Idus quilibet octo.

Quot autem quilibet mensis Calendas habet ex numero dierum mensis colligitur. Subtractis enim diebus Nonarum & Iduum, cæteri omnes in Calendis numerantur. Si ergo mensis aliquis sit ex quatuor primis, qui habent 6. nonas, in illis septimo die dicitur, *Nonis*. à cujus distantia reliqui priores cognominantur, & si septimo die addas octo Idus, prodibunt 15. quo die dicitur Idibus, à cujus distantia post nonas reliqui dies interjecti denominantur. In reliquis octo mensibus quinto die sunt Nonæ, 13. Idus. Si ergo offeratur dies minor die Nonarum, subtrahe illum (detractâ prius unitate quæ primò diei mensis tribuebatur) à die Nonarum, & reliquum à Nonis denominabis. Ex. grat. Si quintum Martii à Nonis denominare velis, detrahe prius unitatem à 5. & remanet 4. hæc subtrahe a 7. & remanent 3. quæ denominabis á Nonis Martii, hoc modo dicendo. Tertio Nonas Martii.

Simili modo agendum est cum Idibus. Si enim proponatur dies, qui sit major quàm dies Nonarum, minor autem quam dies Iduum, subtrahe illum numerum dierum (de-

detractâ prius unitate) à die Iduum & reliquum numerum ab Idibus denominabis. Ut si proponitur duodecimus Martii subtrahes 11. a 15. & remanebunt 4. ac proinde dices quarto Idus Martii. Smiliter quoque agendum cum Calendis; nam numero omnium dierum mensis, additur primus sequentis mensis, à quo cognominantur priores dies post Idus, & numerus diei propositi (detractâ prius unitate) abjicitur à toto illo priore numero, ac residuum à die Calendarum sequentis mensis denominatur. Ex. grat. si proponatur 25. Martii, adjicies 31. diebus Martii, primum diem April. ut fiant 32., ab hoc numero abjicies 24. & remanebunt 8. Hæc denominabis à Calendis sequentis mensis, & dices octavo Calendas Aprilis; atqve idem in reliquis observandam est. Hæc omnia ex sequenti tabula luce clariis patebunt, si modo advertas in prima linea deorsum poni numeros dierum mensium in sequentibus autem numeros qui menses illis subscriptos, à Nonis, Idibus & Calendis denominant

1.	Calendis			
2	6	4		
3	5	3		
4	4	pridie		
5	3	Non.		
6	prid.	8		
7	Non.	7		
8	8	6		
9	7	5		
10	6	4		
11	5	3		
12	4	prid.		
13	3	Idib.		

14. prid.

14 prid.		19	18	16
15 Idibus		18	17	15
16	17	17	16	14
17	16	16	15	13
18	15	15	14	12
19	14	14	13	11
20	13	13	12	10
21	12	12	11	9
22	11	11	10	8
23	10	10	9	7
24	9	9	8	6
25	8	8	7	5
26	7	7	6	4
27	6	6	5	3
28	5	5	4	Pridie
29	4	4	3	Febr.
30	3	3	Prid.	
31 pridie		Pridie	Apr.	
Martius		Jan.	Jnn.	
Majus		Aug.	Sept.	
Julius		Dec.	Oct.	
			Nov.	

In anno Bissextili.
hoc modo ut Februarius.

1	Calendæ	18	12
2	4	19	11
3	3	20	10
4	Pridie	21	9
5	Nonæ	22	8
6	8 Iduū	23	7
7	7	24	6
8	6	25	5
9	5	26	4
10	4	27	3
—		28	Pridie
11	3	Prid.	Sextilis
12	Pridie	25	6
13	Idus	26	5
14	16 Cal.	27	4
15	15	28	3
16	14	29	Pridie
17	13		

Quomodo ex Nonis Idibus & Calendis dies Mensis cognoscantur?

Ex præcedenti tabula facilè eos cognosces si numeros denominationis mensibus supra scriptos quæras, nam si inde recta ad sinistram progrediaris reperies in primo ordine numerorum diem Mensis. Verùm sine hâc tabula quovis loco & tempore sic cognosces. Si proponatur dies à Nonis vel Idibus ejusdem mensis, vel à Calendis sequentis Mensis denomina-

minatus, subtrahe numerum denominationis, detractâ prius ex eo unitate) ex numero diei in quem Nonæ, Idus vel Calendæ cadunt & reliquus numerus dabit diem mensis qui quæritur. Ex. grat. Sint scriptæ literæ. Quinto Nonas Martii. Subtrahe 4. à septimo die quo sunt Nonæ Martii, & remanent tria, ex quo colligo tertio die Martii scriptas. Si sint datæ sexto Idus Martii subtraho quinque à decimo quinto Martii in quo ponuntur Idus, & remanent 10. ex quo colligo 10. die Martii datas. Si sint scriptæ septimo Calendas Maij subtraho 6. a 32. & remanent 26. quo die Aprilis colligo scriptas esse literas, atqve simili etiam modo in reliquis est operandum, sciendo quot dies quis mensis habet. atque ut dicta colligam. Majo, Octobri, Julio, Martio, die 7. Nonæ: & idus 15. in aliis mensibus Nonæ 5. Idus 13. Alius est modus prædicta investigandi, modicè a priori differens & sic habet.

Vis scire quot Calendas v.g. 22. Juni? Junius habet dies 30. abstrahe 22. e 30, erunt 8. abjice adhuc hinc unum, vel certè illis triginta adde unum ut sint 31. e 31. Abstrahe 22. sunt 9. Ergo Nono Calendas præteriti Mensis. item 5. Martii, Martius habet 7. Nonas, abstrahe 4. nam uno minor in Nonis abstrahit, vel nonis adde unum manent tria. Ergo tertio Nonas, Item 12. Martii quid est? in Martii 15ta cadunt Idus, abstrahe uno minus id est vel illis adde. Ut sint 16. erunt 4. reliqui. Ergo 4. Idus. Iterum vis scire diem quota sit mensis ex Calendis? detrahe in Calendis ex præterito Mense dies v. g. 12. Calendas Aprilis, uno minus idem 11. abtrahe à diebus Martii id est 31. reliquum est 13. Ergo illa dies est 4. Nonas Maij. Maij Nonæ cadunt in septima diem aufero 3. e 7. est quarta Mensis 6. Idus Maij in 15ta cadit, aufero 5. è 15. remanent 10. Ergo 10. Maij.

In bissextili Februario unâ die plures Calendæ.

CAPUT

CAPUT XVII.

De Diebus Ægyptiacis.

DIes Ægyptiaci quolibet Mense duo asſignantur qui putantur eſſe infauſti hominibus ac infelices ita ut malum ſit incipere aliquod opus illis diebus, & ſi quis in eis ægrotet vix unquam evadat. Hi dies primum ab Aſtrologis Ægyptiacis à quibus cognominantur) deprehenſi ſunt, & in vulgus publicati. Verum ut pleraqve alia eodem inventa, ita etiam hoc plenum eſt vanitatis & erroris pugnans cum veritate, tum experientia cum Divinis & humanis ſanctionibus, id quod facilè probari poſſet ſi locus id admitteret. Subjungemus nihilominus more aliorum & ipſas plagas Ægypti; & modum quo computiſtæ dies infauſtos ſingulorum menſium inveniendos docent, idque pòtiùs loquendi & irridendi causâ quàm obſervandi & cavendi dies illos. Plagæ ergo quibus Dominus Deus percusſit Ægyptios hoc verſu continentur

Sanguis, vana culex, muſcæ, moriens pecus, ulcus
Grando, locuſtæ, nox, mors prius orta necans

Dies autem Ægyptiacos ſequenti verſu tradunt

Augurior, Decies, Audito, lumine, clangor
Liquit, olens, Abies, coluit, luit, excute Gallum.

In quo verſu ſunt 12. dictiones, ſingulis menſibus anni per ordinem ſervientes ducto initio à Januario, cui prima dictio, videlicet *Augurior* reſpondet. Quælibet autem dictio ſignificet illum diem ſui menſis à quota litera Alphabeti ipſa incipit. Ut quia Augurior incipit à prima litera Alphabeti, primum diem Januarii denotat. In ſecundo die cujuslibet menſis non omnes conveniunt. Aliqui colligunt illum ex prima litera ſecundæ ſyllabæ prædictarum dictionum numerando tot dies à fine menſis verſus principium, quotum in ordine alphabeti

locum tenet, alii aliunde colligunt & in hac subjecta tabula sic collocant. Ut primus & tertius numerus significent dies mensis secundus autem & quartus horas illarum dierum.

Menses.	Dies.	H.	D.	H.	Menses.	D.	H.	D.	H.
Januarius	1	11	25	6	Julius	13	11	22	11
Februarius	4	8	20	10	Augustus	1	1	31	7
Martius	1	4	28	2	September	3	3	21	4
Aprilis	10	20	20	11	October	3	8	22	9
Majus	3	6	25	10	November	5	8	28	5
Junius	10	6	16	4	December	7	1	22	6

De nonnullis aliis appellationibus dierum.

Varii dies varias ob causas varias habent appellationes quas hic ordine non tam naturali quam arbitrario subjungemus. Alii ergo dies dicuntur & sunt

1. *Solstitiales*, qaando scilicet sol consistit, nec amplius ascendendo vel descendendo progreditur, idque fit cum est in principio ♋, ubi solstitium æstivale, & in principio ♑ ubi est solstitium hyemale quorum illud contingit circa 22. Junii, hoc circa 22. Decembris. Alii dicuntur & sunt

2. *Æquinoctiales* quos efficit sol cum versatur in principio ♉ & ♎, videlicet 21. Mârtii, & 24. Septembris. Vel circa.

3. *Caniculares*, qui sunt illi dies in quibus sol cum canicula exoritur & radiis suis eam obscurat

4. *Intercalares*, qui quarto quoque anno post sextum Calendas Martii intercalantur seu calendario interseruntur.

5. *Fasti* dies, quibus olim apud Romanos jura fabantur hoc est, in quibus Prætori tria verba fari licebat, videlicet Do, Dico, Addico; quibus verbis jura dicebant

6. *Nefasti*. in quibus non licebat fari; hinc Ovid. 1. Fast.

Ille Nefastus erit per quem tria Verba silentur
Fastus erit per quem lege licebat agi

Fasti autem libri dicuntur, qui totius anni rationem & numerum continent, qui & Ephemerides & Calendaria vulgò dicuntur.

7. *Festi dies* sunt, qui sacrificiis cultuique Divino dedicantur. Olim sicut etiamnum quandoque illi dies festi dicebantur, qui epularum aut ludorum gratiâ instituti erant.

8. *Profesti*, qui nec sacrificiorum causâ, nec ludorum & epularum gratiâ sunt instituti, sed potius laborum negotiorumque conficiendorum ergò

9. *Intercisi* dies dicebantur qui & Divinis & humanis negotiis erant communes.

10. *Præliares*, quibus olim Reges ad bella procedere solebant.

11. *Comitiales*, dies apti comitiis habendis quibus olim cum populo agi licebat & pop. Romanus ad suffragium ferendum conveniebat

12. *Competendini* dies, quibus vadimonium juberi licet

13. *Atri* dies dicebantur adversi, & infelices quibus Romani insignem cladem acceperunt, quomodo dies ante quartum Calendas sextilis ater dicebatur, eò quod tunc clades ante cannas credatur accepta. Sic etiam multis aliis nominibus appellatur dies: veluti *Stati, Syderales, fatales, Critici, Mali, Boni, Salutis, Judicii &c.*

CAPUT XVIII.

De Diversitate horarum.

HOra generatim sumpta. definiri potest, vigesima quarta pars revolutionis maximorum Circulorum æqualiter à polis mundi distantium. Et quia duo sunt ejusmodi Circuli in cœlo, videlicet Æquinoctialis & Zodiacus qui pro diversitate populorum suorum, diversimodè cælum in duas partes æquales dividunt, propterea duplices etiam horæ assignari so-

lent Æquinoctiales scilicet & planetarum. *Æquinoctiales* horæ sunt vigesima quarta pars circuitus totius æquinoctialis seu conversiones 15. grad. æquinoctialis, qui horizontem conscendunt, aut sub illum demerguntur, vel meridianam lineam transeunt. Dicuntur autem æquinoctiales pariles, & Græcis ἰσημέριναι quod omnes inter se sint æquales, saltem planeticè. Ut hîc loquimur. Hora planetarum est vigesima quarta pars circuitus totius Zodiaci. Quæ tamen adhuc dupliciter accipitur: primò pro spatio temporis quo medietas signi peroritur, atque cùm quolibet die sex signa oriantur, ac totidem etiam quâlibet nocte; consequens est ut quilibet dies in 12 horas planetarias dividatur, sicut & quælibet nox. Cæterùm cum non omnes medietates signorum æqualiter ascendant vel descendant, fit ut horæ istæ etiam ejusdem diei sint nonnihil inæquales nonnihil inæquales inter se.

Aliter sumitur hora planetaria pro duodecima parte cujuslibet diei vel noctis. Quâ ratione omnes horæ ejusdem diei sunt æquales inter se & omnes item horæ noctis æquales inter inæquales tamen horis cujusvis alterius diei vel noctis nisi etiam dies vel noctes sint æquales inter se, idque in sphæra obliqua bis tantum in anno contingit, in sphæra recta semper. Quamvis porrò communis usus hanc distinctionem horarum planetarum negligat, boni tamen Mathematici cum proprie loquuntur veluti sacro boscus, Appianus, Clavius, eam admittunt & usurpant. Dicuntur istæ horæ planetariæ vel propter inæquales ascensiones & descensiones signorum, à quibus istæ horæ desumuntur ut instar planetarum errare videantur, vel quòd eclyptica in qua Sol 12. signa percurrit, sit media planetarum via, vel certè quod per tales horas planetarum dominia distinguantur. Dicuntur etiam naturales eò quod rei natura eam horarum distinctionem

poscat,

poſcat, vel quod ea Duce eam didicerimus. Dicuntur etiam inæqnales, ob magnitudinem non parem. Demum etiam temporariæ & Græcis καιρικαί dicuntur, quòd licet eâdem die ſint æquales inter ſe, pro tempore tamen varientur, ac modò longiores modò breviores inveniantur. Sunt qui etiam eas horas peregrinas appellent. Vel quod non ſint admodum uſitatæ, vel quod more peregrinorum mutentur. Aliis autem dicuntur horæ antiquæ, eò quod olim uſitatæ fuerint, modò ferè negligantur, ſaltem à vulgo, licet Aſtrologi magni eos faciant, & ſemper in ſuis divinationibus adhibeant.

CAPUT XIX.

De initio & uſu horarum.

HOræ æquinoctiales ex rei natura certum initium non depoſcunt ſed poſſunt quandocunqve velis incipere, eas igitur aliqui ab ortu, alii ab occaſu, alii à media nocte aut meridie incipiunt ac numerare ſolent de quibus ſupra.

Horæ tamen planetarum ſemper ab ortu ſolis incipiunt, & ſemper ſex illarum in meridie finiuntur, ſex aliæ in occaſu ſolis. Duodecim aliæ ſemper ab occaſu ſolis incipiunt, quarum una medietas media nocte finitur, alia in ortu ſolis. Nunc potisſimùm æquinoctiales horæ uſurpantur, olim etiam planetariæ in magno uſu erant præſertim apud Ægyptios, qui Divinationibus præ cæteris dediti erant. Illis etiam Judæi utebantur hinc etiam ab aliquibus Judaicæ appellantur. De illis loquitur Chriſtus Dominus cum apud Joannem dicit. *Nonne 12. ſunt horæ diei?* & cum apud Matth. 20, dicit, patrem familias perduxiſſe operarios in vineam ſuam hora 1, 3, 6, 9, & 11. Et Matthæus 27. cap. cum horâ ſextâ tenebras factas ſcribit in univerſa terra, ſicut & Luc. 24.

Hinc etiam intelligitur quâ horâ Christus Dominus mortem obierit, cùm enim tempore passionis æquinoctium vernum fuerit, respondet horâ nonâ, qua mortuus dicitur horæ tertiæ pomeridianæ astronomicæ, quâ Germani, Galli, Hispani & aliæ plerequæ nationes utuntur hæcce autem vigesimæ primæ Italicæ.

Quibus horis dominentur planetæ?

Etsi Christiani Catholici nullum peculiare dominium planetarum agnoscant, ut tamen modos loquendi intelligant & aliorum superstitionem fugere, ridere, & confutare possint, non abs re fuerit, etiam hanc rem explicare, qui ergo vult dominium planetarum scire, eo ordine, qui referente Hermete Trismegisto, à Babiloniis primùm inventus fuit, & à cæteris ejusdem superstitionis hominibus hucusque observatus, is propositâ aliquâ certâ horâ planetarum incipiat numerationem horarum ab eo planeta, à quo dies propositus denominatur, ut die Saturni à Saturno, die Jovis à Jove, & numeret omnes planetas ordine deorsum sequentes usque ad ultimum & hinc ad supremum redeat, & eo usque progrediatur donec numerus horæ propositæ super certum planetam cadat, is enim eâ die illius diei dominari dicetur. Ordo planetarum hoc versu traditur.

Post sim, sum sequitur, ultima Luna subest.

Nam per sim, tres supremi planetæ intelliguntur, Saturnus Juppiter & Mars: Singuli ordine per singulas literas, per sum, tres sequentes intelliguntur, videlicet Sol, Venus & Mercurius, qnibus ultimo Luna adjungitur. Ordo verò retrogradus & dominium eorum hoc versn traditur

Cynthia, Mercurius, Venus, & Sol, Mars, Jove, Satur,
Ordine retrogrado sibi quivis vendicat horam.

Se-

Sequentibus autem characteribus designari solent planetæ.

♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☽

Satur. Jup. Mars Sol Venus Merc. Luna.

Ex quibus horam planetarum, reperies, si à sinistris versus dextram progrediaris capto initio à signo ejus planetæ à quo dies oblatus cognominatur, idque clarius erit si dicti planetæ vel Characteres in orbem scribantur: tunc enim non est opus ut à fine ad initium redeas, sed semper ordine progredieris donec numerus horæ propositæ præferatur. Super quem enim planetarum ceciderit, illi dominium tribuitur eâ horâ, si modo finita nondum sit, sin finita, sequenti planetæ tribuitur qui tantum gubernabit quantum de hora restabit, semper enim cum hora dominium finiunt ac alteri sequenti concedunt, si modo credere fas est.

Ex his Planetarum horis Divinatores, omnes impares, ut primam, tertiam, quintam &c. masculinas appellant, pares autem fœmininas. Aliquas etiam horas Astrologi combustas appellant, quæ scilicet post conjunctionem luminarium sumuntur, quas Arabes, Albuitur & Abuith appellant. Dictas etiam horas planetarum Astrologi in erigendo schemate Cœlesti seu figura nativitatis & in quibuscunque suis prædictionibus adhibere solent.

CAPUT XX.

De horis Canonicis.

HOræ Canonicæ sunt preces Divinæ à certis horis denominatæ quibus (quo ad fieri potest) in Ecclesia Catholica publicè, ad honorem passionis Christi potissimùm, dicuntur, licet etiam ob memoriam & gratiarum actionem reliquorum beneficiorum. Ejusmodi horæ sunt septem videlicet, Matutinum cum laudibus, prima, tertia, sexta, nona, vesperæ, completorium, quibus horis etiam in veteri lege

Deus

Deus coli ſolebat & laudari; hinc pſ. 118. *Septies in die laudem dixi tibi Domine.* Matutinæ preces dicuntur mediâ nocte juxta illud pſ. 118. *mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi, &* quidem dicuntur ad honorem captivitatis & alligationis Chriſti. Item ad honorem nativitatis & reſurrectionis ejus quæ media nocte fuerunt. Reliquæ preces dicuntur iis horis à quibus denominantur; etiam ab ea potisſimùm quæ Chriſtus Dominus iis horis eſt paſſus, ut jam dicetur.

2 Hora primâ diei fuit ligatus, Pilato præſentatus, apud eundem accuſatus, & conſputus. Tali etiam hora, mane ſcilicet, ad templum ire ſolebat, & mulieribus poſt reſurrectionem apparuit, ut habetur Joan. 20.

3. Horâ tertia fuit à Judæis ad mortem poſtulatus, dum clamarent. *Non hunc, ſed Barrabam. Crucifige Crûcifige. Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris.* Tali etiam horâ datus eſt Spiritus Sanctus cujus rei mentio fit in hymno tertiæ.

3. Horâ ſextâ fuit Crucifixus manibus militum. Item tali horâ diſcipulis ſuis recumbentibus apparuit & ipſis cernentibus eſt elevatus in Cælum.

5. Horâ nonâ emiſit ſpiritum, & miles lanceâ latus ejus aperuit. Eâdem horâ cætus Apoſtolorum ad orandum convenire conſveverat. Actor. 3. quorum nos exemplo meritò idem facere debemus.

6. Veſpere fuit depoſius de Cruce. Etiam eâ hora Sanctisſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, & Diſcipulis in Emmaus euntibus in ſpecie peregrini apparuit, quibus in fractione panis ſe cognoſcendum præbuit,

7. Ultimò completis omnibus fuit circa finem diei ſepultus. Simili etiam horâ in horto Patrem oravit, & præ anguſtia futuræ pasſionis ſanguinem & aquam ſudavit. Cauſæ porrò quæ concernunt pasſionem Chriſti propter quas horæ

horæ Canonicæ dicuntur, ſequentibus verſibus comprehenduntur qui in decretalibus Gregor. tit. 41. Cap. *Præsbyter, de celebratione Miſſarum* habentur:

Hæc ſunt ſeptenis propter quæ pſallimus horis:
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.
Prima replet ſputis, cauſam dat Tertia mortis,
Sexta cruci nectit, Latus ejus Nona bipertit.
Veſpera deponit, tumulo Completa reponit.

Cauſa verò propter quam prædictæ preces Canonicæ, non ſemper eàdem horâ aſtronomica, vel Italica dicantur, eſt iſta quod horæ Planetarum quibus Judæi utebantur, & prædicta Myſteria contigiſſe dicuntur, non ſemper eisdem horis aſtronomicis vel Italicis toto anni tempore reſpondeant, ſed modò his, modò aliis pro varietate temporis & elevationis poli, pro quo adjicimus tabellam ſequentem:

Quando Sol oritur hora 9. à media nocte ſeu dies eſt horarum ſex.

Horæ aſtron.	9	10	11	12	1	2	3	
Ab ortu		1	2	3	4	5	6	
Ab occaſu	18	19	20	21	22	23	24	
Planetariæ	12	2	4	6	8	10	12	hora eſt 4. 2.

Quando Sol oritur horâ 8. à media nocte ſeu eſt horarum 8. dies.

Horæ Aſtron.	8	9	10	11	12	1	2	3	4
Ab Ortu		1	2	3	4	5	6	7	8
Ab occaſu	16	17	18	19	20	21	22	23	24

Planetariæ cum his ſolis coincidunt 6. hora habet 442. min. $\frac{12}{16}$

 Quando

Quando Sol oritur horâ 7. à media nocte seu est horarum 10. dies.

Horæ Astron.	7	8	9	10	11	12	1	2	3	4	5
Ab ortu		1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
Ab occasu	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

Planetariæ 12 hora habet 9. 3. min. 57. 12

Quando Sol oritur hora 6. à media nocte, seu dies est horarum 12.

Horæ Astron.	6	7	8	9	10	11	12	1	2	3	4	5	6
Ab ortu		1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
Ab occasu	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
Planetariæ		1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

Quando Sol oritur horà 5, seu dies est horarum 14.

Astron.	5	6	7	8	9	10	11	12	1	2	3	4	5	6	7
Ab ortu		1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
Ab occasu		11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

Planet. hora habet horam 1. min. 10. 6. 12

Quando Sol oritur horà 4. seu dies est horarum 16.

Horæ Astron.	4	5	6	7	8	9	10	11	12	1	2	3	4	5	6	7	8
Ab ortu		1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
Ab occasu	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

Planet. una hora habet horam 19. 1. m. 5. 12

Quando Sol oritur horâ 3. à media nocte seu dies horarum 18.

Horæ Astron.	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Ab ortu		1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
Ab occasu		7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

Planet. una hora habet horam 1 9 2 12

Seu

Seu dum est dies horarum A. tum horæ Planetarum sunt Longæ de die B. & de Nocte C.

A		B		C		A		B		C	
Hor.	min.	hor.	min.	hor.	min.	Hor.	min.	hor.	min.	hor.	min.
1	0	0	5	1	55	13	0	1	5	0	55
2	0	0	10	1	50	14	0	1	10	0	50
3	0	0	15	1	45	15	0	1	15	0	45
4	0	0	20	1	40	16	0	2	20	0	40
5	0	0	25	1	35	17	0	1	25	0	35
6	0	0	30	1	30	18	0	1	30	0	30
7	0	0	35	1	25	19	0	1	35	0	25
8	0	0	40	1	20	20	0	2	40	0	20
9	0	0	45	1	15	21	0	1	45	0	15
10	0	0	50	1	10	22	0	1	50	0	10
11	0	0	55	1	5	23	0	1	55	0	5
12	0	1	0	1	0	24	0	12	0	0	0

CAPUT XXI.

De Olympiade.

OLympias spatium est 4. annorum. quæ à Ludis qui Jovi Olympico quinto quoque anno, quatuor interiectis celebrabantur, originem duxit. Cùm enim fama horum ludorum universum orbem, præcipuè verò Græciam pervasisset, & omnibus ubique notissimi essent, placuit tandem etiam tempus eorum notatione describere. Non tamen idem fuit Olympiadum quod ludorum Olympicorum initium. Nam Ludi multò ante bellum Trojanum celebrabantur, cùm tamen olympiades, non nisi 405 aut 407. annis post eversam Trojam inceperint annis 28. ante urbem conditam. Octavo autem anno Regni Achaz Regis Juda. 774. vel (ut alii probabi-

babilius loquuntur) 780. annis ante Christum natum. Fuit autem urbs condita anno primo Olympiadis Septimæ, & Christus natus anno tertio Olympiadis 194. annis 752. ab urbe condita. Inceperunt autem Olympiadum anni à solstitio æstivo ut aliqui volunt; vel ut alii melius sentiunt, ab Æquinoctio Autumnali, quo tempore etiam annus ipse apud eos initium habuit. Hoc inter omnes constat semper Olympiadem plenilunio & decimo quinto mensis celebratam. Et ad ipsas quidem Olympiades usque teste Africano in 3. annal. nihil exploratum in Græcorum Historiis invenitur, sed omnia confusis sunt conscripta temporibus; post Olympiades verò quoniam quadriennio diligentissimè omnia notabantur, nulla penitus est confusio temporum, Nota verò, aliquos Olympiadum annos expansos appellare annos Iphiti Qui porrò scire desiderat quotus nam Olympiadum annus agatur, is sequentibus regulis uti poterit, ex quibus facilè id cognoscet, Annis Christi adde 774. qui Christum natum præcesserunt ac totum divide per 4. & quotiens significabit numerum Olympiadum, residuum autem annum incompletum Olympiadis currentis. Hinc colliges hoc anno 1671.. esse annum primum Olympiadis 611.

Aliter sic idem cognosces. Annis Christi adde 3. totum divide per 4. Quotientem adjunge ad 194. Olympiades, quæ Christum præcesserunt. & totum aggregatum significabit numerum Olympiadum, residuum autem (addita prius unitate) significabit annum Olympiadis currentis. Quod si nullam addas unitatem, reperies annos Olympiadum completos.

Aliter etiam sic. Annis post 1500. elapsis adde 3, totum divide per 4. Quotienti adde 579. & emerget rursus numerus Olympiadum, residuum autem additâ unitate annum Olympiadis currentis significabit.

CAPUT XXII.

De Lustro.

ALiqui volunt idem temporis ſpatium ſignare luſtrum, quod apud Græcos Olympias, ac proinde ſolùm 4. annos expletos, ita ut quinto quoque anno ineuntem luſtrum peractum intelligatur: Sed alii probabilius dicunt accipiendum eſſe luſtrum pro ſpatio 5. annorum expletorum, ac proinde non eſſe idem quod Olympias. Unde autem dicatur luſtrum dubium eſt. Quidam dicunt luſtrum fuiſſe ſacrificii genus, quo urbis luſtrandæ gratia quinto quoque anno apud Romanos in Campo Martio ſus, ovis, & taurus immolabatur. Verrone autem teſte a luendo, hoc eſt à ſolvendo dicitur, eò, quòd quinto quoque anno vectigalia per cenſores locata, ſolverentur, & à Civibus tributa afferentur. Quia verò cenſus ipſe, ſeu luſtrum quinto quoque anno fiebat (quo temporis ſpatio etiam Cenſorum Magiſtratus durabat) invaluit conſuetudo, ut Luſtri appellatione quinque annorum ſpatium intelligatur, atque pro tanto tempore nunc ſolùm uſurpatur ſive primum certum ſacrificii genus ſignificaverit, ſive cenſum aut quodvis aliud. In hac ſignificatione uſurpatur etiam ab Eccleſia in quodam hymno de Chriſti paſſione ubi dicitur:

Luſtris ſex qui jam peractis, tempus implens corporis.

CAPUT. XXIII.

De Indictione.

INdictio ſpatium eſt 15. annorum, olim tributorum ſolvendorum causâ inſtituta, & primo quidem ab Octavio Auguſto incipiente primo anno Olympiadis 194. anno tertio ante Chriſti Nativitatem, in autumnali principio: executioni tamen mandari non cæpit, niſi anno ſequenti, qui fuit ſecundus dictæ Olympiadis 194. tum enim edicente Cæſare ex

Senatûsconsulto. Quirinus sive Cyrinus in Judæam missus, censum hominum possessionesque descripsit. De quo legitur Luc. 2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis &c.* Et paulò post: *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino &c.* Et anno quarto ejusdem Olympiadis 194. dum adhuc fieret solutio censûs, Christus Dominus circa Solstitium hyemale natus est, ut autem conformis esset Græcis, voluit Augustus, ut Indictio haberet firmam sedem 25. die Septembris, in ipso autumnali æquinoctio. Renovatæ sunt autem Indictiones anno Domini 313. ante diem Octavam Cal. Octobris, quo die Constantino Magno, primo Christianorum Imperatore regnante, Maxentius victus religioque Christiana in libertatem est vendicata. Placuit enim Patribus Concilii Nicæni ut sublatis Olympiadibus, armorum ratio ab eo tempore, quasi á primordiis Christianæ libertatis iniretur, ac deinceps decimo quinto quoque anno nova esset Indictio, anni autem singuli indictionis numerantur. Fuit tamen hæc renovatio, non tam institutio quàm acceptatio Indictionum. In illum enim annum 313. incidebat nova Indictio á prima ejus institutione numerata, quæ fuit 22. Nam vigesimo primo Cyclo Indictionis finito, incipiebat annus primus sequentis, hoc est 22. Cycli, in quem annum cadebat 273. Olympias & annus 1065. ab urbe condita: Sic annos novæ Indictionis cum antiquis Romanorum Indictionibus numerare, vel potius prosequi cæperunt. Harum Indictionum usus in hodiernum usque diem durat, & in bullis Pontificum & diplomatibus, aliisque scripturis publicis notatur. A variis tamen variè usurpatur. Nam in Curia Imperatoris à prima sede; hoc est a 24. Septembris numeratur in curia autem Romani Pontificis a Calendis Januarii, in quem diem unâ cum anno Christi traducta est, ut patet ex actis

ex actis Concilii Constantiensis. Præterea Imperatores dicunt prima, secunda, tertia &c. Indictio, hoc est annus primus, secundus, aut tertius, Indictionis. Ut Grammatici, primus, secundus Annalis ejus, prima, secunda, &c. origine Catonis. Jurisconsultus, primo, secundo, Edicto Pontific. Max. primo, secundo &c. anno Indictionis. Quis porrò Indictionis annus agatur, ex sequentibus regulis cognoscitur. Annis Christi adde tria, totum divide per 15. & quotiens significabit integras revolutiones Cycli Indictionis à prima ejus institutione: residuum autem annum currentem sequentis Indictionis seu Cycli. Quod si nihil supersit; ultimus annus, hoc est decimus quintus, erit Indictio. Constantinianam autem, seu renovatam, quæ scilicet ab anno Domini 313. currit, sic invenies. Annos 313. ab annis Christi currentibus subtrahe, & relinquetur intervallum annorum ab ejus renovatione. Quod intervallum annorum si dividas per 15. addita prius unitate, tum quotiens significabit numerum revolutionum integri Cycli renovatæ seu Constantinariæ Indictionis, residuum autem ut prius, annum currentem sequentis cycli. Advertendum tamen in scriptis publicis non haberi rationem, nec fieri mentionem integrarum revolutionum, sed tantum annorum currentium Indictionis, qui etiam soli exprimi solent, & non tàm à renovatione Indictionis quàm à prima institutione ab auctoribus colligi atque adeo per primam & non per secundam regulam hîc assignatam, licet (quod annum currentem attinet, planè coincidant, cùm idem per utramque colligatur) ut pro hoc anno 1589. secundus annus Indictionis ut experienti patebit.

Notandum denique olim etiam annos à tempore Diocletiani numeratos fuisse, qui inceperunt anno Christi 284. atque hanc Epocham aliquos, æram copticam martyrum appellare.

pellare. Secundum hunc computum hoc anno 1671. incipit annus copticarum 1387. à 29. Augusti.

CAPUT XXIV.

De Sæculo.

SEculum à sequendo dictum putant. Accipitur plerumq; pro spatio 100. annorum. Hinc dici solet. Multa præteriêre sæcula; accipitur etiam pro ætate hominis & quandoque pro spatio 30. annorum. Hinc nostro sæculo aliquid fieri vel contigisse dicimus. Quandoque pro 1000. annis. In scriptura sæpissimè pro æternitate. *Ut à sæculo Tu es Deus.*

Aliqui cum Quinto Fabio Pictore distingunt durationem mundi in varia sæcula, quorum primum ab ortu generis humani incæptum vocant *aureum*, eò quod posterioribus comparatum, æquè ut aurum inter metalla effulsit. Hoc sæculum sub Ogyge ante Ninum annis circiter ducentis & quinquaginta Xenophon atque majores prodiderunt. Duravit hoc in sæculum ab inundatione scilicet usque ad Ninum annis ducentis 49. Secundum Sæculum vocant *argenteum*, quod à Nino Rege Assyriorum incepisse volunt, qui primus omnes aureos mores antiqui sæculi, quo quisque suis rebus contentus erat, novâ regnandi cupiditate mutavit, duravit hoc sæculum usque ad tempus Atlantis Itali, hoc sæculum duravit annis 430. tertium sæculum vocant *æneum* quod ut volunt incepit ab Atlante Italo, à quo Italia nomen accepit usq; ad Trojanum excidium, duravit hoc sæculum 448. quartum Sæculum *Stanneum* vocant, quod incepit ab excidio Trojano & duravit usque ad Romulum Romæ Conditorem annis videlicet 427. quintum sæculum vocant *ferreum*, quo regnarunt Romani Reges, duravit à Romulo primo Romanorum Rege usque ad pulsos Reges, annis scilicet 240. sextum vocant *plumbeum*, quod erat tempus Romanorum Consulum, qui magna

gna & quasi plumbea gravitate regebant urbem. Duravit hoc sæculum 464. annis. Post hoc plumbeum sæculum, rursum innovatum est aureum tempore Octaviani Augusti qui cæpit Monarchiam Romanorum, de cujus tempore Vergilius in Buccolicis Ecloga 4.

Jam redit & Virgo redeunt Saturnia regna.
Jam nova progenies cœlo demittitur alto
Jam nunc nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet ac toto surget gens aurea mundo &c.

Et libro 6. Æneidos sic canit:

Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis
Augustus Cæsar, Divum genus, aurea condet sæcula &c.

Nobis tamen Christianis hæc ultima ætas rectius aurea dicitur propter redemptionem Generis humani à peccatis & à jugo legis antiquæ &c. in qua tamen ætate etiam quis varias ætates assignare posset, & varias temporum ac morum mutationes & denominationes, ita ut jam hæc ætas, comparatione primæ, quâ Christus, Apostoli, & primi Christiani vixerunt (quam meritò quis auream vocaverit) quasi ferrea aut plumbea vel & lutea videatur. Vide plura apud Joan. Lucidum lib. 3. de emendatione temporum.

CAPUT XXV.

De Septem ætatibus hominis.

ÆTas solet accipi pro uno, septem, aut centum annis: nonnunquam etiam pro pluribus, præsertim cum de duratione longi temporis est sermo. Quod ad hominem attinet 7. ejus ætates assignantur. Videlicet, Infantia, Pueritia, Adolescentia, Juventus, Virilitas, Senectus, Decrepiditas, quæ sunt 7, ejus status in quibus *homo* notabiliter mutatur, tum quo ad animum & mores, tum quoad corporis constitutionem.

Infantia incipit à principio vitæ & durat usque ad 4.

annum, pueritia usque ad 14. Adolescentia ad 22. Juventus ad 41. Virilitas ad 56. Senectus ad 68. Decrepiditas ad 98. Postea rursus consurgit Infantia cum denuò homines repuerascere incipiunt & delirare. Singulis his ætatibus dominantur certi planetæ, quorum Ordinem ac Dominium in sequenti tabula videbis.

1. Infantia 4. ☽ quia abundant humoribus & facilè lachrymantur.

2. Pueritia 14. ☿ quia declarant propensionem ad literas & musicem.

3. Adolescentia 22. ♀ quia turgent eo magis tempore & ad coitum incitantur.

4. Juventus 41. ☉ quia tunc regnant corporis vires, & mentis accumen.

5. Virilitas 56. ♂ quia tunc affectant gloriam, potentiam, divitias, victoriam.

6. Senectus 68. ♃ quia tunc ad veritatis & justitiæ studium alliciuntur.

7. Decrepiditas 98. ♄ quia tunc natura se à corporis voluptate segregat.

8. Infantia 102. ☽ quia denuo humores & lachrymæ abundant.

CAPUT XXVI.

De Septem ætatibus mundi.

SEcundum Computum Joannis Lucidi quem plerique sequuntur, sunt septem mundi ætates.

1. Prima fuit ab Adam usqve ad Noe annorum 1656
2. A Noe usque ad Abraham annorum 292
3. Ab Abraham usque ad legem datam Moysi 505
4. A Lege Moysis usque ad inchoatum templum Salomonis 480

5. Ab

5. Ab Inchoatione templi usque ad ejus desolationem 440
6. A desolatione templi usque ad Christi Nativitatem 587
7. A Christi Nativitate usqve ad finem mundi

Itaqve à Creatione mundi usque ad Christi natalem colliguntur anni 3960. minus tribus mensibus. Alii tamen alios ponunt. Hebræi & Joannes Picus Miranctulanus 3507
Paulus Orosius, Beda, Eusebius, 5198
Primi Ecclesiæ Patres 5499
Alphonsus Hispaniæ Rex 6984

His obiter aliqua subjungamus notabilia
Turris Babel ædificata anno mundi 1931
Orpheus & Amphion vixerunt, & literæ Græcis traditæ anno mundi 2753
Lycurgus vixit 3020
Septem Sapientes & Poeta Pindarus 3310
Euclides, Epicurus, Ennius, Terentius 3719

Sanctus Gregorius Papa hom. 19. sumpta occasione ex Evang. de Patrefamilias qui diversis horis exivit conducere operarios in vineam suam, ut scribit Matth. 20. quinque tantum ætates mundi ponit 1. Mane enim mundi fuit ab Adam usque ad Noe. 2. Horâ tertia à Noe usque ad Abraham; 3. Sexta ab Abraham usque ad Moysen. 4. Nona à Moyse usque ad Adventum Domini. 5. Ab Adventu Domini usq; ad finem mundi.

Tyrinus ætates mundi in hunc modum computat. *Primam* ab Adam ad finem diluvii universalis, annorum 1656. *Secundam* à fine diluvii ad egressum Judæorum ex Ægypto, annorum 887. *Tertiam* ab hoc egressu ad annum quartum Salomonis quo templum est cæptum ædificari, annorum 480. *Quartam* ab hoc templi initio ad finem captivitatis Babylonicæ annorum 452. *Quintam* à fine hujus captivitatis & initio Mo-

narchiæ Persicæ ad Messiæ adventum, annorum 525. *Sextam* à Christo ad finem mundi. *Ultimam* quietis perpetuæ.

His addamus iterum modum appendicis. Et quidem tempora Prophetarum quibus ante Christum vixerunt Itaque vixère ante Christum annis 775. Oseas, Joel, Jonas, Amos, Isaicas 724. Abdias & Micheas 661. Nahum.

607. Sophonias, Abacum
595. Jeremias
561. Ezechiel
541. Baruch
538. Daniel
515. Aggæus, Zacharias, Malachias. Post Prophetas ad prophanos eamus. Vixère ante Christum juxta Calend. Lucæ Gaurici Annis, Homerus 989. Hesiodus 889. Thales Milesius 584. Hippocrates 440. Aristoteles 343. Euclides 291. Aratus 199. Hipparchus 320. Vergilius 45.

P. Henricus Philippi Sotis Jesu annos hoc modo computat.

Anno ante Vulgarem Æram Christi.		Anno ab orbe creato.
27.	Oriuntur Anni Augustorum	4014
30.	Nata est Monarchia Romanorum	4011
38.	Æra Hispanica	4003
45.	Incepti anni Juliani, ac Imp. Rom.	3996
63.	Subjecta Judæa, natus Augustus. Cic. Consul	3978
168	Æra Machabæorum	3873
312	Regnum Græcorum	3729
324.	Mortuus Alexander Magnus	3717
330.	Monarchia à Persis ad Græcos translata	3711
356.	Natus Alexander Magnus	
457.	Exortæ Danielis Hebdomadæ	3584
509.	Reges expulsi, primi Coss. Creati Romæ	3532

520. Tem-

510.	Templum instauratum, Duce Zerobabele.	3521
536.	Inita à Cyro Persarum Monarchia	3505
588.	Excisa a Nabuchodonosore Jerosolyma.	3453
598.	Transmigratio Jechoniæ	3443
606.	Servitus Babylonica anno 1. Nabuch. inchoata	3435
721.	Captivitas 10. Tribuum, sive finis regni Israel	3320
753.	Urbs à Romulo condita 21. April	3288
776.	Restauratæ ab Iphito Olympiades	3256
981.	Initium Regni Israel mortuo Salomone	3060
1018.	Templum Salomonis ædificari cæptum	3023
1061.	Regni Davidis initium mortuo Saule	2980
1184	Excidium Trojæ, & decennio post Padua condita	2857
1457.	Ingressus in terram promissionis mortuo Moyse	2584
1497.	Decem Ægypti plagæ, Exodus, Manna, Lex data Hebræis	2544
1577.	Natus Moyses	2464
1712.	Descensus Israel in Ægyptum	2329
1842.	Natus Jacob Patriarcha;	2199
1802.	Natus Isaac	2139
1927.	Promissio facta Abrahæ	2114
2002.	Natus Abraham	2039
2233.	Æræ Babylonicæ primordia	1808
2384.	Diluvium	1657
4040.	Orbis creatus	1

Huic anno Domini 1624. ait P. Philip. qui eo anno impressit jam currenti si addantur 4040. prodibit annus mundi, 5764. si adjeceris eidem anno Christi 2384, habebis annum á Diluvio 4008. ineuntem : eadem est de Aliis Epochis ratio.

CAPUT XXVII.

De quatuor anni temporibus.

VUlgus annum in duas tantum partes dividere solet; Videlicet in hyemem, & Æstatem. Ecclesia autem cum Mathema-

thematicis in 4. videlicet in Ver, Æstatem, Autumnum & Hyemem, quæ partes diversam habent complexionem, & diversis elementis, & ætatibus hominis comparantur. Prima est calida & humida, sanguinea, similis aeri & Adolescentiæ hominis, quia durat ab initio usque ad 21. Secunda est calida & sicca dicitur cholerica, similis igni, & comparatur Juventus hominis, quæ duratà 21. usque ad finem 41. anni.

Tertia frigida & sicca dicitur Melancholica, similis est terræ, & comparatur virilitati hominis, quæ durat a 41. usque ad 60.

Quarta frigida & humida, dicitur flegmatica, similis aquæ, comparatur Senectuti hominis, quæ durat ab anno 60. usqve ad finem vitæ naturalis, Comparantur his quatuor anni temporibus etiam venti & plagæ mundi, quæ omnia ex subjecta tabula clarè perspicies.

Nomina Rerum.	*Calida Humida.*	*Calida Sicca.*	*Frigida Sicca.*	*Frigida Humida.*
4. Tempora,	Ver,	Æstas,	Autumnus,	Hyems,
4. Elementa,	Aer,	Ignis,	Terra,	Aqua,
4. Humores,	Sanguina,	Cholerica,	Melancholica,	Phlegmatica
4. Ætates,	Adolescentia,	Juventus,	Virilitas,	Senectus,
4. Venti,	Auster,	Eurus,	Boreas,	Zephyrus,
4. Plagæ,	Meridies,	Oriens,	Boreas,	Occidens,

De naturis reliquorum ventorum judicabis ex cognitione quam habent cum ventis Cardinalibus, quorum naturam participant. Ipsa autem cognatio ex sequentibus versibus patet

Euro, Vulturnus, Subsolanusque sodales.
Aphricus, atque Notus, Austro sunt collaterales,
Et Zephyrum Corus, Fauonius atque sequuntur
Circius ac Aquilo Boream stipare feruntur.

Complexiones 4. anni partium etiam sequentibus versibus breviter traduntur.

Æstas

Æstas sicca calens, Autumnus siccus & Algens
Friget & humet hyems, calidum ver sitit humetque.

Habent porro supradicta 4. anni tempora duplex exordium; unum secundum Ecclesiam, & communem hominum sensum, & consuetudinem; alterum secundum Mathematicos. Exordia Vulgaria Ecclesiæ ex sequentibus versibus colliguntur

Festum Clementis hyemis caput est Orientis.
Cedit hyems retrò cathedrato Simone Petro,
Ver fugat Urbanus, Æstatem Symphorianus,
Id tibi quod restat, Autumni tempora præstat.

Est autem Festum S. Clementis 23. Novembris.
Festum Cathedræ S. Petri 22. Februarii.
Festum Sancti Urbani 25. Maij.
Festum Sancti Symphoriani 24. Augusti.

Exordia verá Mathematica a quatuor Zodiaci quadris incipiunt & ex sequentibus versibus cognoscuntur.

Zodiaci Caput est Aries, & veris & Anni:
Æstatis Cancer, Autumni pendula libra:
Incipit ex imo pluvialis Hyems Capricorno.

Quibus autem diebus mensium, & quibus minutiis dierum 4. Anni tempora secundum Astronomos incipiant, certò dici non potest, cum singulis annis, nonnihil ea puncta immutentur. Platicè tamen ac latè & vulgariter loquendo dici potest, Ver incipere 21. Martii: Æstatem 22. Junii: Autumnum 24. Septembris: Hyemem 22. Decembris. His enim diebus nunc post reformationem Calendarii, Sol in signa Cardinalia ingreditur, quæ sunt initia, quadrantum Zodiaci, ac proinde etiam 4. anni temporum. Ex iis autem signis duo efficiunt solstitia, duo alia æquinoctia; id quod sequentes versus docent.

Solstitia efficiunt duo Cancer cum Capricorno.
Sed noctes æquant, Aries & Libra diebus.

Hæc

Hæc eadem tempora ſolſtitiorum & Æqui noctiorum olim vulgò ſequentibus verſibus tradebantur.

Lamberi Gregori nox eſt æquata diei
Vitus, Lucia, ſunt duo ſolſtitia.

Verum nunc poſt reformationem Calendarii decem dies qui ex Calendario ſunt ſubtracti, dictis feſtis adjici debent ut rectè monſtrent dicta æquinoctia & Solſtitia. Quodſi cui hæc adjiciendi cura moleſta ſit, is ſequentibus ſine adjectione uti poterit *O Bene Paphnuti, nox eſt æquata diei*
Paulin cum Thoma ſunt duo ſolſtitia.

Celebratur autem Feſtum Sancti Benedicti 21. Martii. Feſtum Sancti Paulini 22. Junii, & Feſtum Sancti Thomæ 21. Decembris uno diem ante ſolſtitium.

Eſt autem *ſolſtitium* cum ſol ab Æquinoctiali non amplius digreditur, ſed quaſi conſiſtit, & ab extremo puncto regredi, & eidem appropinquare incipit. Ex his unum dicitur æſtivum, quod in principio fiat æſtatis, alterum Hyemale, quod in principio hyemis. *Æquinoctium* eſt cum dies artificialis eſt æqualis nocti, quorum unum dicitur vernale, quod in principoi veris contingat, alterum autumnale, quod in principio autumni. Quid natura prædictis 4. anni temporibus producat ex ſequenti diſticho diſcitur.

Ver decorat flores, ornata eſt Meſſibus Æſtas,
Poma dat Autumnus, frigore torpet Hyems.

Singulis etiam quatuor his anni remporibus triduana præcipiuntur Jejunia ab Eccleſia Catholica, quæ proinde jejunia quatuor temporum appellantur, celebrantur autem proximo die Mercurii, Veneris & Sabbathi poſt Feſta ſequenti verſu ſignificata.

Poſt Pen. Cru. Lu. Cin. ſiunt jejunia trina
Ut ſit in Angaria quarta ſequens feria.

Hoc eſt poſt Pentecoſten, Crucem, Luciam, Cineres, Feſtum exal-

exaltationis S. Crucis (quod intelligitur) celebratur 14. Septembris. Festum autem Sanctæ Luciæ 13. Decembris cætera stabilem sedem non habent, cum sint ex mobilibus. Eadem festa etiam sequenti disticho significari solent quàm veteri tam parum culto.

Vult. Crux, Lucia, Cineres, Charismata dia
Ut det vota pia quarta sequens feria.

Quod ad reliqua anni tempora jejunia & festa attinet, spectant ea propriè ad Calendarium, de quibus proinde nihil est hoc loco tractandum, sed tractatu sequenti ubi omnia festa mobilia ex instituto explicabuntur. Non tamen abs re fuerit brevem hic anni divisionem & festorum fixorum ab invicem distantiam usitatis ac vulgò etiam tritis versibus subjungere, sunt autem isti

Sex sunt ad Puri, bis sex sunt usque Philippi
Ad Jacob totidem, novem sunt ad Michaelem
Sex ad Martini, sex ad Natalia Christi
Adde dies octo totus complebitur annus.

Atque hæc est divisio Anni per Senarias hebdomadas. Numerus autem dierum anni sequenti versu traditur.

LXV tria.c. *Annus complectitur in se*, vel Tenet annus quilibet in se.

CAPUT XXVIII.

De Variis Cyclis.

CYclus est spatium aliquorum annorum, in se rediens secundum aliquos numeros, & dicitur per Syncopen quasi Circulus: Est enim dictus *Cyclus* eò, quòd certo annorum numero finito ad initium redeatur, ut fiat quasi circulus. Est autem multiplex Cyclus.

Unus vocatur *Solaris* sic dictus nona sole sed à die Dominica quæ dicitur dies Solis, constans 28. annis, continens literas Dominicales cum concurrentibus & regularibus; atque

hic olim incipiebat in festo S. Matthiæ, nunc in novo anno. De hoc Cyclo agitur tractatu secundo C. 11. De litera Dominicali C. 12. de Concurrentibus Cap. 22.

Alter *Cyclus* dicitur *Lunaris* & *Decemnovennalis*, hic complectitur spatium 19. annorum, & continet aureum numerum & claves festorum mobilium de eo agitur tract. 2. cap. 7. de Clavibus c. 16.

Tertius *Cyclus est Epactalis* continens spatium 30. annorum complectiturqve Regulares Lunares, & annos communes ac bissextiles. Olim incipiebat 28. Augusti, nunc Cal. Jan. De Epactis agitur tractatu 2. C. 8. de Regularibus Lunæ C. 10.

Quartus dicitur *Magnus Cyclus*, & Paschalis qui oritur ex ductu secundi cycli in primum videlicet 19 in 28. constat ex 532. annis vel secundum alios ex 530. secundùm quem Cyclum olim formabatur tabula Dionysii. Verùm hic cyclus non est ampliùs in usu sicut nec tabulæ Dionysii.

Quintus cyclus est *Indictionis* continens spatium 15. annorum, incipiebat 24. Septembris nunc Calendis Januarii.

Sextus Cyclus est *Imperiorum*, qui ab aliquibus dicitur annus Periodicus, complectitur autem spatium 500. annorum hoc enim ferè temporis spatio dicunt Astrologi Respubl. politias, ac regna florentissima circumscribi. Sed neque hic cyclus usurpandus. In primo cyclo videlicet solari redeunt omnes diversitates bissextorum & literarum Dominicalium. In secundo redeunt omnes Lunationes ad pristinam sedem in Calendario, licet non præcisè redeunt. In 4. cyclo redibunt omnes diversitates Paschales. In 5. diversitates Indictionum. In 6. non tàm redeunt quàm pereunt Imperia si Astrologis credere fas est.

Hi sunt præcipui cycli qui Calendarium concernunt de quibus etiam in sequentibus tractatibus plura dicemus.

His

His addo *Intervalla* & quidem Intervallum minus dicitur, tempus quod eſt inter Natalem Domini & Quinquageſimam. Intervallum majus quod eſt inter Dominicam Trinitatis & Adventum. Prius, nec brevius 5. nec longius, decem hebdomadis. Poſterius, non brevius 22, nec longius 27.

TRACTATUS SECUNDUS CALENDARII

De Arithmetica ſupputatione temporum ac feſtorum mobilium, hoc eſt de Computo Eccleſiaſtico qui ope Arithmeticæ certis regulis perficitur.

CAPUT PRIMUM.

Quid de Paſchæ celebratione ſancitum ſit?

QUoniam totum Calendarium ad celebrationem Paſchæ refertur, non abs re fuerit afferre primum, ac breviter enumerare quæ de eo decreta ſint, & ſtatuta. Olim præceperat Dominus Deus per Moyſen, ut celebraretur Phaſe ſive Paſcha, die decima quartâ primi Menſis ad veſperam, hoc eſt quartâ decimâ Lunâ (menſibus Lunaribus utebantur Hebræi) quæ vel in Æquinoctium vernum incidit vel quæ proximè Æquinoctium ſequitur, cùm ſcilicet ſol eſt in principio, vel in aliquo gradu arietis. Eccleſia verò Catholica & ſi jam tempore gratiæ per Legem Moſaicam ceremonialibus illis præceptis obſtricta non erat, propterea quia legalia omnia per mortem & Reſurrectionem Chriſti Domini ceſſaverunt, & vim ſuam amiſerunt. Paſcha tamen cujus Judæorum Phaſe figura erat, retinuit, & voluit ut apud nos ſicut apud illos feſtum mobile eſſet, non autem ut celebraretur in ipſa quarta decimâ Lunâ primi menſis, ùt Paſcha Judæorum,

ſed in Dominica quæ quartam decimam lunam primi Menſis proximè ſequitur, propterea quia prima Dominica poſt Paſcha Judæorum Chriſtus reſurrexit. Quod ſi quando 14. Luna in Dominicam caderet. Voluit ſolennitatem Paſchæ transferri in proximè ſequentem Dominicam, in quem ſcilicet Luna 21. Menſis incidit, idquè duas potisſimùm ob cauſas. Nè videlicet in Luna 13. Jejunium quadrageſimale ſolvatur, aut, ſi tamen non ſolvatur, ſed in 14. luna (ut Patres antiqui volebant) nè die Dominico jejunare cogamur cum hæreticis Manichæis, & die Lunæ feſta Paſchalia incipiant. Docuit itaque Eccleſia ſtatim ab initio Paſcha celebrandum eſſe poſt æquinoctium vernum Dominicâ poſt primum ab hoc æquinoctio plenilunium. Refert hanc doctrinam Clemens Rom. conſtit. Apoſt. lib. 5. cap. 16. Victor Papa Conciliorum parte 1. Concilium Romanum ibid. cap. de Paſchæ ſolennitate fol. 382. Baronius an. 159. num. 10. & an. 198. num. 18. & ex Concil. Nicen. idem anno 325. num. 15. S. Epiph. hær. 50. S. Aug. tom. 10. de tempore, feriâ 6. Paſchæ. Serm. 2. & tom. 6. contra Fauſtum Manichæum lib. 32. S. Anſelm. Epiſcop. Cantuarien. lib. de imagine mundi, quorum verba causâ brevitatis omittimus. Hinc eſt quod Paſcha legitimè celebrari non posſit nec ante 22. Martii nec poſt 25. April nec ultra 21. Lunæ differri, nec ante 15. Lunæ alioquin 14. Lunæ cum Judæis celebraretur, & conſequenter, Novilunium primi Menſis habet terminos 8. Martii & 5. Aprilis incluſive. Ne autem cujus libera daretur quæpiam facultas errandi, in æquinoctio & die 14. Luna primi Menſis, ac Dominico die ad celebrandum Paſcha definito, ſtatutum eſt à Patribus Concilii Nicæni, ut æquinoctio verno tribueretur dies 21. Martii quo die tunc aut circiter æquinoctium erat, ac proinde ſemper Paſcha celebrari poſſe ac debere in aliquo dierum à 22.

Martii

Martii inclusivè usque ad 25. Aprilis etiam inclusivè totaquè latitudo Paschalis esset dierum 35. quorum 10. priores ad finem Martii, posteriores 25. ad initium Aprilis pertinerent, Ut & in Noviluniis atque adeò in diebus quartæ decimæ Lunæ nulla inter Christianos ampliùs dissensio oriretur. Sicut à Concilio Nicæno usque ad tempora fermè Justiniani Imperatoris acciderat) sed omnes iisdem diebus primam diem Lunæ pronunciarent. Dispositi sunt à Dionysio Abbate 15. Aurei Numeri ab Alexandrinis accepti per dies in Calendario tali artificio, ut quilibet ei diei cujusvis mensis persigeretur, in quo novilunium accidebat eo anno, quo aureus ille numerus præfixus in usu erat. Postremò ut omnibus constaret quæ esset Dies Dominica, institutus fuit Cyclus Literarum Dominicalium qui est 28. annorum. Ut literà Dominicali cujusvis anni cognitâ, nulla esset in diei Dominicæ, atque adeò in solennitatis Paschalis celebratione diversitas apud Christianos.

CAPUT II.
Cur Calendarium emendari debuerit?

VErùm licèt hæc omnia quæ de Paschæ celebratione diximus, rectè sapienterquè constituta sint, non tamen æquinoctium vernum ante correctionem Calendarii 21. Martii contingebat, sed undecimo fermè die, & quò ulterius processisset tempus, eò pluribus diebus juxta Calendarium vetus recessit a 21. Martii æquinoctium, ut patet in tabella adjecta, in qua simul Cyclum Bissextilium novorum apposuimus.

Cyclus Bissextilis Novus cum distantia ab anno antiquo id est, quot diebus vetus Calendarium sequetur novum.

13	1582.

1582.	Anni Dni.	Dies	Biſſ.	Anni Dni.	Dies	Biſſ.	Anni Dni.	Dies
Biſſ.	1600	10	9	5200	37	18	8800	64
	1700	11		5300	38		8900	65
	1800	12		5400	39		9000	66
	1900	13		5500	40		9100	67
Biſſ. 1	2000	13	Biſſ. 10	5600	40	Biſſ. 19	9200	67
	2100	14		5700	41		9300	68
	2200	15		5800	42		9400	69
	2300	16		5900	43		9500	70
Biſſ. 2	2400	16	Biſſ. 11	6000	43	Biſſ. 20	9600	70
	2500	17		6100	44		9700	71
	2600	18		6200	45		9800	72
	2700	19		6300	46		9900	73
Biſſ. 3	2800	19	Biſſ. 12	6400	46	Biſſ. 21	10000	73
	2900	20		6500	47		10100	74
	3000	21		6600	48		10200	75
	3100	22		6700	49		10300	76
Biſſ. 4	3200	22	Eiſſ. 13	6800	49	Biſſ. 22	10400	76
	3300	23		6900	50		10500	77
	3400	24		7000	51		10600	78
	3500	25		7100	52		10700	79
Biſſ 5	3600	25	Biſſ. 14	7200	52	Biſſ. 23	10800	79
	3700	26		7300	53		10900	80
	3800	27		7400	54		11000	81
	3900	28		7500	55		11100	82
Biſs. 6	4000	28	Biſs. 15	7600	55	Biſſ. 24	11200	82
	4100	29		7700	56		11300	83
	4200	30		7800	57		11400	84
	4300	31		7900	58		11500	85
Biſs. 7	4400	31	Biſs. 16	8000	58	Biſs. 25	11600	85
	4500	32		8100	59		11700	86
	4600	33		8200	60		11800	87
	4700	34		8300	61		11900	88
Biſs. 8	4800	34	Biſs. 17	8400	61	Biſs. 26	12000	88
	4900	35		8500	62		12100	89
	5000	36		8600	63		12200	90
	5100	37		8700	64		12300	91

Et per censequens Pascha ,juxta vetus Calendarium non juxta Canones SS. Patrum, primâ post æquinoctium, sed etiam secundâ & tertiâ, imò quartâ & deinceps Luna celebrabitur. Nam anno 1709. juxta correctum Calendarium celebrabitur Pascha 31. Martii, at juxta vetus, 5. Maij. Anno 1736. juxta novum, 1. April, juxta vetus 6. Maij quem errorem Sol, Luna, Astronomia; imò horologia ipsa detegent. Nam per illa non æquinoctialis dies 12. sed 13. & ampliùs horarum invenietur. Itaque Calendarium vetus hoc ordine cum suo Paschate Majum nostrum percurret, licèt appellabit Aprilem, contra quod sol imò totaquè rerum natura manifestè clamabit, si quidem in suo Aprili Anno 17100. Messem habebunt peractam ubi solet fieri in Augusto.

Anno	2271.	Maij 7.	Anno 3647.	Maij 19.
	2203.	Maij 8.	3674.	Maij 20.
	2230.	Maij 9.	3767.	Maij 21.
	2268.	Maij 10.	3932.	Maij 22.
	2583.	Maij 11.	4170.	Maij 23.
	2515.	Maij 12.	4263.	Maij 24.
	2610.	Maij 13.	4359.	Maij 25.
	2705.	Maij 14.	4548.	Maij 26.
	3104.	Maij 15.	4700.	Maij 27.
	3115.	Maij 16.	4711.	Maij 28.
	3142.	Maij 17.	4738.	Maij 29.
	3332.	Maij 18.		

Et sic quando in novo Calendario Majus, in veteri Aprilis habebitur.

Anno verò 5422. Pascha vetus in Junio novi Calendarii accidet. Anno 17100. in Augusto, & circulo transacto per reliquos Menses, anno 41571. veniet 1. Martii. Propterea in novo Calendario, non autem in veteri, statuta SS. Patrum servantur uti servari debent sub anathemate, & novum non statuta Patrum sed Calendarium correxit, quod non à Patribu

bus sed ab Astronomis componitur uti docet S. Leo Magnus Epist. 64. & ex eo Baronius anno 325. num. 16. & anno 412. num 17. & anno 453. num. 30. & anno 463. num. 1. & idem ex Cassiod. de divin. lect. cap. 23. anno 527. n. 8. Ex quo etiam patet quòd veteres Calendaristæ decreta Patrum ob Calend. violent, sicut & Judæi sæpè violant præcepta Dei de Paschate veteri ritu quem profitentur celebrando, dum suum erroneum Calendarium sequuntur quod jam suo tempore illis exprobravit S. Epiphanius lib. tom. 2. Cap. 70. & lib. 2. tom. 5. cap. 5. fol. 137.

Novilunia item non rectè per aureos numeros in Calendario collocatos indicabantur sed 4. diebus & eò ampliùs seriùs quàm oportebat, ex quo futurum est, ut Pascha sæpè numero contra sanctionem Concilii Nicæni usque ad illud tempus celebratum sit, cùm enim juxta Concilium Nicænum primus Mensis Lunaris atque adeò paschalis sit ille, cujus dies 14. Lunæ, vel in diem æquinoctii verni cadit, vel ipsum proximè sequitur, æquinoctium autem vernum ante correctionem Calendarii circa 11. diem Martii contingebat; sequitur omnes Lunas 14. à die 11. Martii usque ad 20. fuisse Paschales, hoc est primi Mensis quos tamen tanquam eos qui ad ultimum mensem spectarent & æquinoctium antecederent, Ecclesia semper respuit. propterea quòd æquinoctium vernum die 21. Martii cum Concilio Nicæno affixit. Hinc factum est ut quotiescunquè Lunæ dies 14. diem 10. Martii sequebatur, & 21. diem antecedebat, Pascha mense secundo celebratum sit atque hic error in dies obscurè serpens, longiùs progressus esset, nisi remedium fuisset adhibitum, adeò ut progressu temporis omnes Lunæ 14. paschales relictæ essent, tanquam inutiles, semperquè Pascha in 2. Mense, imò tandem in tertio, quarto, atque in ipsa æstate fuisset celebratum. Ex hoc

hoc errore æquinoctii verni & lunæ 14. factum est ut sæpè pascha celebraturum sit 7. aut 28. aut 35. diebus tardius quam decreta patrum præcipiunt. Ut ante correctionem Calendarii usu venit his annis 1565, 1568, 1576, 1579. idemque evenisset si emendatum non fuisset calendarium his annis 1595, 1598, 1603, 1609. & plerisque aliis in quibus omnibus erratum esset in paschæ celebratione diebus 35. ut annos omittam, in quibus vel 28. vel 7. dierum error contigisset. Quod satis apparet ex Paulo Middelburgensi lib. 11, Paulinæ, ubi paschæ solennitates ab anno 1500. ad annum usque 3000. supputavit cum erroribus qui secundum usum Ecclesiasticum comittebantur, ex quibus omnibus festi dies paschæ numero 200. reperiuntur legitim , alii vero 1301. contra patrum decreta celebrati cum errore interdum 42. dierum, quod quidem iu plures successu temporis excrevisset nisi correctum esset calendarium. His accedit quod & hystoriarum, & magna temporum perturbatio secuta fuisset, quæ ex continua illa anticipatione æquinoctii versus mensium initia omittebatur.

Nam tandem festum Incarnationis in æstatem, Christi Natalis in tempus vernum, festum S. Joannis in autumnum prolapsura fuissent.

Hæc ergo incommoda & absurda quæ recensuimus ut vitarentur, & ne in majora incideret posteritas necessaria Calendarii fuit emendatio.

CAPUT III.

Unde Ortum habuerit error Calendarii?

DIfferentia neglecta anni Solaris & usualis, seu ut alii meliùs loquuntur, anni Civilis & Astronomici, prima causa est omnis erroris, inde enim retrocessio æquinoctiorum versus initia mensium, ex qua tota perturbatio Calendarii. Quod ut intelligatur advertendum, annum solarem seu Astrono-

micum continere spatium dierum 365. horarum 5. min, 49. sec. 16. annum verò usualem seu politicum & Civilem tantùm diebus integris constare, & communem quidem diebus 365. Bissextilem autem 366. pro horis enim 5. min. 49. sec. 16, quæ omni anno communi supersunt, quarto quoque anno dies integra intercalatur & bissextilis efficitur, cæterùm quia prædicta fragmenta diebus integris adjuncta si quater ea accipias non diem integrum efficiunt, sed paulò minùs, videlicet 23. horas 49. min. & 16 secunda, ita ut 10. m. & 44. sec. unius horæ, plus adjiciantur, ac proinde sol totidem minutis citius sequenti anno suum cursum absolvat, post secundum diem intercalarem duplo citius, post tertium triplo, & sic deinceps. Et quamvis ista differentia excesûs exigua sit & brevi tempore notari non possit, successu tamen temporis notabilis efficitur, ita, ut spatio 400. annorum, tribus ferè diebus citius ad idem Zodiaci punctum Sol veniat, spatio 4000. annorum ferè prius mensem, spatio 24 millium & quingentorum per 6. menses, in 49. tandem annorum millibus ad pristinam suam sedem veniret. Quanto autem citius quovis temporis intervallo, ad reliqua Zodiaci puncta sol veniret tanto & ad æquinoctialia puncta & sicut reliqua puncta Zodiaci ea de causa rectè dicuntur retrogredi, ad initia mensium, non quidem verè & absolutè quasi ipsa mutato suo loco aut cursu, versus initium signorum aut mensium voluantur, sed tantum comparatione dierum, qui scilicet nunc aliquo die, principio mensis propinquiore, sól idem Zodiaci punctum attingat, quàm antea, sic & de punctis æquinoctialibus eadem de causa rectè dici potest quod retrocedant versus initia signorum quod scilicet nunc aliquo die principio mensis propinquiore à sole attingantur. Et hæc quidem retrocessio à tempore Nicæni Concilii 10. diebus est aucta

quan-

quandoquidem hoc tempore 11. die Martii sol æquinoctii punctum possideat, quod olim non nisi 21. Martii assequebatur ac possidebat. Sed hic obiter duo quæret quisquam rerum Astronomicarum rudior. *Quantum spatii in Cœlo minutum unum occupet?* Cœli circulus in gradus 360. & unus gradus in minuta 60. dividitur. Huic respondeo cum Francisco Maurolico append. Dial. ad Cosmogr. datâ distantiâ solis â centro terræ mill. german. 1088257. circulus totus quem sol decurrit erit similium mill. 6840472. itaque signum quodvis id est gradus 30 se extendent per mill. 19001. unum minutum per mill. 316. & dimid.

Alterum est quod petet cum *æquinoctium* dicat coæquationem diei cum nocte *quomodo non semper eadem* die maneat? Sed hæc acceptatio est Grammaticalis, quomodo si quis diceret Solstitium esse diem quâ Sol ulterius non progreditur vel regrediatur, sed hoc fit quasi momento temporis indivisibili: pariter æquinoctium est punctum temporis quo Sol redit ad idem punctum loci in signo Arietis, nam dum in eo consistit solet fieri nox diei æqualis moraliter & si non exactissimè, nam partes Eclipticæ quia non decurrit gradum integrum de die, non omnino similes nocte ac die decurrit sed has vel illas magis obliqua, & ita accidebat ut æquinoctium diversis diebus eveniret. Nam

Anno ante Christum 146. Hipparchus illud invenit incidisse in 24. Martii horam 11. ante meridiem. Anno Christi 1586. Tycho observavit Martii 10. hora 9. min. 2. ante meridiem.

Et si in non correcto Calendario accidet Anno 1700. Martii 9. hora 10. min. 53. sec. 56. ante meridiem.

Anno 1800. Martii 8. hora 3. min. 25. sec. 27. post meridiem.

Anno 1900. Martii 7. hora 7. min. 25. sec. 26. post meridiem.
Anno 2000. Martii 6. hor. 11. min. 47. sec 7. post meridiem.
Anno 6000. Febr. 6. hora 9. minuta 26. sec. 6. post meridiem.
Sed hoc ipsum juvat in annis 134. ostendere.

Incidat æquinoctium anno primo in diem 21. Martii horam 12. in ipsa meridie tum sequenti anno eveniet, die quidem eádem sed horâ 5. min. 49. sec. 16. post meridiem sed jam sit tabula in longit. 36. supputata.

Annus.	Dies.	Hora.	Min.	Secundum.	Tempus.
0	21	12	0	0	meridies.
1	21	5	49	16	post merid.
2	21	11	38	32	post
3	21	5	21	48	ante
4	21	11	17	4	ante
8	21	10	34	8	ante
12	21	9	51	12	ante
16	21	9	8	16	ante
20	21	8	25	20	ante
30	21	6	18	0	ante
40	21	4	50	40	ante
50	21	3	3	20	ante
60	21	1	16	0	ante
70	20	11	28	40	post
80	20	9	41	20	post
90	20	7	54	0	post
100	20	6	6	40	post
110	20	4	19	20	post
120	20	2	32	0	post
130	20	0	44	40	post
134	20	0	1	44	

CAPUT IV.

In quibus quomodo & quando Calendarium emendatum sit.

COgnito errore Calendarii facilè cognoscitur in quo emendari debuerit & corrigi. Cum itaque æquinoctium suam sedem à patribus Concilii Nicæni ei tributam deseruerit, in eandem restitui debuit, & cum numeri per calendarium dispositi novilunia non amplius debitis locis monstrarent, & illi corrigi & aliter disponi debuerint, ut novilunia secundum medium motum quoad ejus fieri potuit suis locis monstrarent. Etenim cum æquinoctium in suam sedem restitui non potuerit nisi per aliquot dierum exemptionem, consequens fuit ut etiam cyclus solaris ad hoc usque tempus in Ecclesia Dei usitatus, necessario interrumpendus fuerit, ac proinde ita innovandus, ut per eum litera Dominicalis non secus post correctionem Calendarii atque ante, quocunque anno proposito posset inveniri. Itaque in his tribus, æquinoctii restitutione, Noviluniorum emendatione, & Cycli Solaris innovatione. totum negotium correctionis consistit. Quamvis porro de Æquinoctii restitutione variæ fuerint Mathematicorum sententiæ, (quidam enim illud relinquendum censebant eo loco quo correctionis tempore reperiebatur scilicet die Martii, alii autem ad 25. ejusdem diei revocandum esse suaserunt, hoc est ad diem Dominicæ incarnationis, quam in æquinoctio verno factam arbitrabantur, aliis aliud visum est. Plerique tamen prudentiori consilio usi, ad 21. Martii restituendam censebant; ubi illud tempore Nicæni Concilii deprehendebatur. Nam si prioribus illis modis aut quovis alio correctum fuisset, oportuisset immutare omnes terminos Paschales authoritate Concilii Nicæni constitutos, omniaque breviaria ac missalia renovare, cùm omnia hæc ita sint digesta atque ordinata ac si æquinoctium vernum die 21. Martii perpetuò contingeret.

Quæ res quantam perturbationem allatura fuerit fidelibus, si vidissent pascha & alia festa mobilia aliis diebus nunc, quàm olim ab antiquis patribus celebrari, nemo est qui dubitat, præsertim verò quod non exiguum detrimentum hominibus Ecclesiasticis importaret propter innumerabilium fermè librorum Ecclesiasticorum jacturam & immensos sumptùs qui in coemendis novis libris ad Dei cultum pertinentibus necessarii essent quorum tamen incommodorum nihil ex recepta ultima operatione sequebatur, Quæ ut facilius approbaretur, & hæc causa fuit quia omnes Ecclesiæ orientales numerosæ sunt, & quarum ratio maximè habenda erat, canonem de pascha celebrando in Concilio Nicæno confirmatum, religiosissimè custodiant qui hac ratione mansit intactus & penitus illæsus. Huic accedit & alia ratio quod scilicet major pars Sanctorum, quorum solennitates gratâ memoriâ piè veneratur Ecclesia, circa tempora Nicæni Concilii floruerit. Martyrum quidem paulò antè sub Decio & Diocletiano crudelissimis Ecclesiæ Dei persecutoribus: Confessorum autem ipso Concilii tempore, vel paulò prius, ut proinde restituto ad 21. Martii æquinoctio quo die tempore Nicæni Concilii contingebat, Sanctorum dies congruis temporibus celebrentur, hoc est non longè ab illis quibus corporis vinculis exuti ad feliciorem vitam commigrarunt, quod tamen nullo alio modo fieri potuisset. Restitutum est porro æquinoctium, à Greg, 13. Pont. Max. ad 21. Martii exemptis 10. diebus ex Mense Octobri anni 1582. ita ut post quartum diem Octobris qni B. Francisco sacer est, loco diei 5. assumptus fuerit statim 15. decem interjectis eo anno prorsus omissis, Hàc enim ratione factum est, ut veterum æquinoctium anno 1583. sequenti, & aliis deinceps contigerit 10. diebus seriùs quàm ante hanc correctionem, ac proinde cùm ipsum fieret antea

circa

circa diem 11. Martii idem nunc circa diem 21. accidere cernatur quemadmodum Concilii Nicæni temporibus. Facta quoque est hæc restitutio per ablationem 10. dierum simul ex uno mense, non autem per omissionem 10. dierum intercalarium in 40. annis, aut per detractionem eorundem 10. dierum ex 10. mensibus detrahendo singulos dies ex mensibus singulis, quod nonnulli optabant, tum quia multa occurrere potuissent in 40. annis quæ correctionem impedirent tum etiam quia sæpius Cyclus Dominicalium literarum interrumpendus fuisset qui tamen hâc restitutione semel tantùm est interruptus.

Sunt verò 10. isti dies ex mense Octobri exempti, eò quod plures dies Sanctorum celebritatibus vacuus haberet & nullum festum mobile in ipsum incideret, ut perinde decem dies ex eo exempti minorem perturbationem confusionemq; in divinis officiis persolvendis, apud homines Ecclesiasticos pepererit.

CAPUT V.

Quo remedio deinceps utendum ne Æquinoctia suam sedem in quam restituta sunt deserant?

SI nullum adhiberetur remedium æquinoctia denuò suam sedem desererent & 134. quoque anno, die integro eam anticiparent, ac tandem spatio 1340, annorum denuò ad 11. Martii prolaberentur, ubi ante correctionem Calendarii fuerunt. Hoc ergo ne accideret ea intercalandi 12. adhibita est, ut post annum 1600. tres primi centesimi sint communes, hoc est dierum 365. quartus autem centesimus sit bissextilis, dierum scilicet 366. atque ita deinceps eodem semper ordine servato. Itaque anni 1700. 1800, 1900. communes erunt qui tamen secundum leges antiqui Calendarii bissextiles esse debebant, & solum 2000. bissextilis erit, deinde rursum tres proximi cen-

tesimi videlicet 2100, 2200, 2300. communes fient, & quartus centesimus proximus solùm bissextilis. Ut proinde hâc ratione in centesimis annis eadem ratio intercalationis servetur quæ in aliis extra centesimos. Ut enim in aliis, quartus quisque annus bissextilis est, cæteri communes, ita quoque post 1600. quartus quisque centesimus bissextilis est, cæteri communes: & sicut in illis solum ij bissextiles sunt, quos quaternarius numerat, velut 4. 8. 12. 16. 20. 84. 1588. 3416. &c. ita & in his centesimis quales sunt anni, 1600, 2000, 2400, 3600, 9600. &c. nam omnes hos centenariorum numeros, 16, 24, 36. 96. quaternarius metitur.

Hâc ergo ratione ita Æquinoctium 21. Martii affixum retinebitur, ut non facilè die integro ab eo dimoveatur, nam licet spatio centum annorum nonnihil versus principium mensis Martii tendat, illa tamen anticipatio semper corrigitur per omissionem bissextilis primis tribus centesimis annis: sed quia quolibet centesimo anno magis retruditur æquinoctium versus finem mensis, quàm versus initium ejusdem progressum fuerat omissione enim bissextilis per diem integrum versus finem mensis revocatur, cùm tamen anticipatio non fuerit integri diei sed tantum horarum circiter 18 annis aut 134. fieret integri diei, ut proinde primo centesimo sex horis ultra terminum suum protrudatur, secundo anno 12. horis, tertio centesimo, 18. horis, propterea quarto quoque centesimo, admittitur bissextilis, ut denuò à fine versus principium ad locum suum redeat. Licet ergò Æquinoctium quasi motu trepidationis circa locum suum titubat, & modo huc versus initium mensis, modo illuc versus finem aliquantulum progrediatur: dicto tamen modo semper ad eundem revocatur, ita ut non facilè per unum diem à sua sede: recedere possit. Quod si forsan post multa millia annorum uno die recessisse animad-

animadverteretur, aut versus initium mensis, aut versus finem ejusdem, omissione aut additione extraordinariâ bissextilis, error ille corrigendus esset, id quod fieret nullâ Cycli Epactalis in Calendario facta mutatione, quod tamen in nullum alium cyclum lunarem quadrare potest, cum mutatâ intercalationis ratione, cycli quoque in Calendario dispositio mutanda sit necessariò, atque in hoc maximè consistit perpetuitas Calendarii Romani, & nòn in eo, quod talis sit intercalandi formula præscripta, ut per eam æquinoctium in 21. die Martii ita retineatur quo minùs ab eo aliquando recedat. Hoc enim fieri nulla ratione potest si annus civilis ex diebus integris constans, & intercalandi modus facilis ac regularis ut decet, non autem astronomicus annus, ex diebus, horis, horarumque fragmentis constitutus, & irregularis intercalationis forma, populo rudi proponenda sit. Quantum tamen commodè fieri potuit retinebitur. Qua de causa & intercalandi ratio, non cujusvis anni magni sed mediæ tamen adhibita est. Cum enim secundum varias ætates varia sit anni magnitudo observata: & Nicolaus Copernicus è suis hypothesibus demonstret maximam ejus magnitudinem esse dierum 365. hor. 5. min. 55. sec. 37. ter 40. qualis à Ptolomæo anno Domini 130. observatus fuit, minimam dierum 365, h. 5. m. 42. sec. 55. tert. 7. qualem ferè Albaregnius teperit circa annum Domini 880. nimirum annis 750. post Ptolomæum mediam autem esse ferè eam, quam Alphonsinæ tabulæ qui circa annum Domini 1250. conditæ sunt, statuunt, dierum f. 365. hora 5. m. 49. sec. 16. certa definitaque ejus magnitudo est electa, eaque media ut secundum eam ratio institueretur, quà intercalatio certo quodam annorum spatio intermitteretur, secundùm eum enim minimus omnium, ac rarissimus fit æquinoctii à sua sede recessus. Nam si annus maximus delectus fuisset & semel trecentesimo quoque

anno intercalatio omissa fuisset motui quidem solis exquisitè respondisset eo tempore, quo annus in maximam magnitudinem excrevisset: maximè tamen distaret a vero, cùm idem annus minimam obtineret magnitudinem. Si minimus delectus fuisset, solum motui solis vero responderet eo tempore, quo annus minimus fuisset, sed maximè ab eo discrepâsset cùm in maximam excrevisset magnitudinem, itaque ut in maximo nimis rara, ita in minimo nimis crebra fuisset intercalatio, solus ergo annus medius cujusmodi est Alphonsinus ad hoc munus idoneus visus est, quia sive major aliquo tempore annus fuerit deprehensus, sive minor, quám medius, parùm à verò aberrare poterimus, si pro magnitudine anni illius medii omissionem diei intercalaris instituamus, cùm neque minùs raròs, neque nimis crebrò dies intercalaris è medio tollatur, sed media quædam ratio, semper servetur, adeò ut ratio hæc intercalandi, seipsam emendet atque corrigat. Nam quando æquo crebrius intercalaris dies omittitur uno tempore, compensatur hic error tempore alio, quin rarius dies intercalaris eximitur, & e contra. Totus denique error qui contingere potest, est iste, quòd in anno maximo citius quàm opus est diem intercalarem eximamus, atqve idcircò æquinoctium aliquantulum à die 21, Martii versùs finem mensis recedat, Ecclesiasti, cumqve æquinoctium diei.21. affixum, contingat ante verum, anno verò minimò tardius quam æquum est diem intercalarem omittamus ac proinde æquinoctium deserat diem 21. Martii, progrediaturque versus mensis initium, ita ut Ecclesiasticum æquinoctium post verum & cæleste accidat. Hoc autem non esse absurdum sed potius consuetudini Ecclesiæ maximè consentaneum ex sequentibus patebit. Prædictis possumus etiam addere alteram rationem cur annus inter maximum & minimum medius sit delectus; quia scilicet Ecclesia etiam in

novi-

noviluniis & Lunis 14, ad rectam paschæ celebrationem investigandis veris motibus exquisitiori astronomorum perscrutationi relictis, semper mediis motibus sit usa eo quòd medii motus sint æquales, & uniformes, veri aut inæquales ac difformes, modo mediis majores, modo minores; æquum enim & consentaneum videtur, ut ad æquinoctium in sua sede retinendum adhibeat quoque mediam anni magnitudinem cum par utrobiqve ratio esse videatur. Nam quemadmodum conjunctiones luminarium mediæ veras nunc antecedunt, nunc verò subsequuntur, ita & æquinoctium, quod annus inter maximum & minimum medius exhibet, uno tempore præcedet, subsequente vero: alio autem tempore post verum accidet.

CAPUT VI.

Utrum post hâc omnes Lunæ Paschales futuræ sint primi mensis nec ne?

SI æquinoctium Ecclesiasticum cum vero semper congrueret, ac ne puncto quidem ab eo differet non dubium quin omnes Lunæ paschales primi mensis essent. Nunc verò quia Ecclesiasticum æquinoctium aliquando antecedit verum aliquando autem sequitur, ùt capite præcedenti dictum est: propterea si æquinoctium uni diei tantùm affigeret cum præcisione, contigeret aliquando nonnullas Lunas decimasquartas pertinere ad primum mensem & esse paschales, ex decretis & sanctionibus Patrum & Concilii Nicæni, & tamen eas rejici tanquam non paschales, & ad ultimum mensem spectantes, propterea quod ante diem 21. Martii, in quo vult Ecclesia æquinoctium fieri, Lunæ illæ 14, existunt, licet in ipsum diem æquinoctii qui tamen fortassis diem 21. antecedit incidant, vel ipsum etiam sequantur; rursus nonnullas lunas 14. non esse paschales secundum eadem decreta, sed ad ultimum mensem pertinere quæ tamen ab Ecclesia legitimæ ad pascha celebrandum, & primi mensis,

censeantur, propterea quia in diem 21. Martii æquinoctio destinatum incidunt vel eam sequùntur, etsi æquinoctium verum, quod tum fortasſis post diem 21, contingit præcedant. Verùm cùm id etiam circa tempora Concilii Nicæni contingerit, & necessariò contingat aliquando, quamdiu æquinoctium uni tantùm diei præcise affixum est, propterea necessariò dicendum est, quod licet unius diei tantùm faciat mentionem Concilium & Patres, eos tamen non præcisè sumere diem illum sed plus minùs, acsi dixissent, circa 21. Martii quidem vel in ipso, vel paulò antè aut paulò post, ut latitudinem dierum includat, ipsum scilicet 21, Martii, & mediam diem ante alteram mediam post, atque hâc ratione licet aliquæ Lunæ paschales sint vel secundi vel ultimi mensis rigidè ac præcisè loquendo, quia tamen sunt æquinoctio tam propinquæ non esse ex illis quæ sunt prohibitæ, sed moraliter in iis haberi quoad primum mensem spectant, ac proinde paschales esse, & nullo modo prohiberi. Vel breviter dici potest. Æquinoctium duobus modis accipi, uno prout verè in rerum natura existit & ab astronomis consideratur, alio ut iu Calendariò affigitur ad certum aliquem diem & ab Ecclesia ad pascha ritè celebrandum adhibetur, & prædictas quidem Lunas paschales esse secundi vel ultimi mensis, 1. modo, non autem 2. ac proinde non rejici per illud decretum quasi ineptas, Quamvis porro Ecclesiasticum æquinoctium quantùm fieri potest cum astronomico, convenire debeat, justas tamen ob causas quales in proposito sunt, pax & concordia omnium fidelium in paschate celebrando, poterit aliquando non nihil ab invicem discrepare quod ipsum Clavius dicit. His intellectis faciliùs ea quæ deinceps de tertio computo dicemus intelligentur, quorum explicationem nunc aggrediemur.

CAPUT

CAPUT VII.

De Aureo Numero

Cyclus decemnovennalis aurei numeri, est revolutio annorum 19. ab unitate ad 19. quâ revolutione peractâ, iterum ad 1. reditur. Continet hic Cyclus annos 19. quia post eos annos solares, novilunia ad eosdem dies mensium revertuntur, quanquam non ad easdem omninò horas sed aliquanto prius, ut in 76. annis: in 4. Cyclis decemnovennalibus easdem sedes Luna anticipet horis 5. m, 50. secund. 20.tert. 49. ac tandem in annis 212½ die fermè toto.

Hujus numeri primus inventor fuit Meton Pausaniæ filius Atheniensis, & quia præ cæteris numerorum cyclis aptissimè novilunia monstrabat, Romani Julio Cæsare auctore eum suis ephemeridibus adhibuerunt, & non solùm propter sui excellentiam aureum appellarunt, sed & qui aureo colore seu aureis literis eum annotârunt. Appellatur hic numerus & cyclus decemnovennalis, a 19. numeris quibus constat. Item cyclus Lunaris eò quòd ad Lunam demonstrandam adhibeatur. Progrediuntur autem isti nostri suo ordine naturali, incipiunt enim principio anni, à Januario, & in fine Decembris terminantur, ut postea cnm novo anno novus incipiat, ille videlicet qui præcedentis anni numerum ordine naturali sequitur. Cæterùm licet aurei numeri secundum usum naturalem ordinem sument, non tamen secundum dispositionum in Calendario; sed major ferè numerus antecedit proximè minorem 11. diebus propter illos 11. dies quibus annus solaris lunarem excedit, ita ut collocato aureo numero 1. ad diem aliquem cujuslibet mensis proxime major videlicet 2. eum percurrat versus principium mensis 11. diebus, 10. diebus interpositis, propterea quia anno insequenti, novilunium ejusdem mensis 11. diebus antecedit superioris anni novilunium: eademque ratio

est in cæteris, Rarò admodum antecedit major proximè minorem 10. solum diebus, & multò rarius 12. quia tamen interdum contingit naturâ cycli decemnovennalis id ita postulante: Hinc fit ut in Calendario quilibet aureus numerus sequens constituatur per additionem octonarii ad antecedentem aureum numerum abjectis tamen 19. si summa major fuerit quàm 19. Vel (quod in idem recedit) per subtractionem 11, ex autem aureo numero additis prius 19. si superior numerus major quam 11. non fuerit, ut subtractio fieri possit. Rursum efficitur, ut vicissim aureus quisque numerus formetur per adjectionem 11. ad sequentem, abjectis tamen 19. si major fuerit summa quàm 19. Vel per detractionem 8. ex aureo numero, sequenti, additis prius 19. si sequens numerus major non fuerit quam 8. Non scribuntur autem isti numeri continuato ordine, non enim sequens est minor proximè præcedente, sed ut plurimum inter binos, singuli dies reliquantur vacui, ut hâc ratione singuli aurei numeri sint adscripti illis diebus quibus contingit novilunium, eo anno quo quisque eorum currit & in usu est.

Hinc fit ut cognito primo numero Januarii, quosvis facilè reliquos sequentes per additionem 8. vel detractationem 11, ut dictum formare possis. Item ut cognito aureo numero qui ultimus est in Decembri, sive postremum diem occupet sive penultimum, facilè antecedentes formet per additionem 11, vel subtractionem 8. Sed quia unica Regula pro illis locis, in quibus major numerus minorem sequitur proximè tradi non potest: propterea quia non semper idem aureus numerus in principio Januarii aut fine Decembris ponitur: sed alius alii succedit, quoad omnes aurei numeri Januarii principium occupaverint, æquatione Lunæ id ita & postulante, faciliùs iidem aurei numeri in Calendario digeruntur beneficio Epactarum in

Calen-

Calendario descriptarum, quarum dispositio facilis est, & immutabilis. Dispositis 19. aureis numeris in Calendario per artem supradictam, facilè erat invenire per illos tempus Novilunii cujuslibet mensis. Eo namque die contingebat, cui aureus numerus propositi anni præfixus erat. Atque hinc luna 14. paschalis, & ex hâc pascha, cum aliis festis mobilibus investigabatur. Cæterùm quia novilunia transactis 19. annis solaribus, non ad easdem pròrsus sedes revertuntur, sed paulò ante 19. annos completos, ita ut quolibet spatio 19. annorum sedes pristinas præveniant, hora 1. min. 27. sec. 31. tert, 55. spatio verò 4. Cyclorum decemnovennalium annis 76. horis 5. m. 10. sec. 7. tert. 40 ac tandem annis 3 12½. die fermè integrò, propterea successu temporis aurei numeri non eodem die monstrabant amplius novilunia quâ contingebant, sed tardiùs & quidem à tempore Nicæni Concilii, usque ad annum correctionis 1582. 5. diebus tardius, totidem 11. diebus, sedibus suis relictis, versus initia mensium prolapsa fuerant Novilunia. Quamvis porrò corrigi possint aurei numeri, & in propriâ loca restitui, uti factum est ante Calendarii emendationem in Breviariis ac Missalibus à Pio V. corectis, nunquam tamen ita corrigi possunt ut perpetuò novilunia suis in locis rectè monstrarent. Nam quoties dies intercalaris ex centesimo anno aliquo auferretur, toties omnia novilunia uno die tardius contingerent, quàm ab aureis numeris indicarentur, ac proinde toties movendi essent deorsum per unum diem etiam aurei numeri, ut rectè novilunia monstrarent. Quod si nullus dies intercalaris ex centesimis annis auferetur, tum novilunia in 312½. annis; uno die, sedes suas in calendario anteverterent, ut proinde post quoslibet 312½. annos promovendi essent, versùs initia mensium uno die, ut rectè novilunia indicarent. Atqve hâc ratione conficienda essent 30. calendaria; ita ut dispositio

aurei

aurei numeri 30. varietates haberet, promoto quolibet sursum deorsumque per 30. dies, quot nimirum in una Lunatione 30. dierum contineatur, & semper eligi posset unum ex illis qui proposito tempori quadraret. Verum quia perincommodum hoc esset, & molestum, magnique sumptus, propterea optimo consilio factum est, ut aureis numeris de Calendario submotis, in eorum locum alii numeri Epactarum scilicet succederent, qui perpetuò in unico Calendario Novilunia monstrarent, sive ea versus initia mensium progrediantur, sive versùs fines devolvantur, nullâ in Calendario factâ mutatione, Itaque aureo numero, non utemur in posterùm ad Novilunia & festa mobilia inquirenda, ut ad hanc usque diem ab Ecclesia factum est, sed solum ad investigandam Epactam cujuslibet anni, ex qua & novilunia & festa mobilia deinde reperiantur. Et hac de causa retinetur aureus numerus, ut prius ante correctionem calend. Eum hunc in modum reperiemus pro quolibet anno oblato. Anno Domini proposito addatur 1. & numerus compositus per 19. dividatur & quotiens ostendet revolutiones aurei numeri à Christo nato usque ad annum propositum: residuum verò erit aureus numerus 19. anni propositi. Quodsi nullum esset residuum erit aureus numerus 19. Invento aureo numero prædicto modo, pro uno anno, pro sequenti anno accipies, proximè sequentem, & pro reliquis reliquos ordine naturali se consequentes atque toto Cyclo decemnovennali finito ad ejus initium redibis, & rursum ordine naturali progredieris; pro annis verò antecedentibus contra naturam numerorum retrorsum procedes, à majoribus ad minores & ab unitate rursum ad 19. redeundo.

Tabula errorum Veteris Calendarii, circa celebrationem Paschatis ratione aurei Numeri

ANno 1673. celebrabunt Dominicâ secundâ, post 14. Lunæ, id est 9. April. quia Novilunium erit 17. Martii hor. 11. min 54. post Merid. in longit. 36. pro qua hæc exempla adducimus.

Anno 1674. celebrabunt mense secundo, id est 29. April. nam Novilun. Martii 7. qui est primus hor. 8. min. 40. antemerid.

Aono 1677. die 25. Aprilis Dominica secunda, novilunium Martii est 3. hor. 10. minut. 52. post meridiem.

Anno 1679. mense secundo hoc est die 30. Aprilis, quia Novilunium primi mensis est 12. Martii hor. 5. min. 54. ante merid. plenilunium die 27. hor. 0. min. 16. ante meridiem.

Anno 1781. 13. Aprilis Dominica Secunda, quia Novilunium primi Mensis est 9. Mart. hor. 0. min. 35. post meridiem.

Anno 1782. Aprilis 26. erit mense secundo, quia novilunium primi mensis Martii 8. hor. 9. min. 24. post meridiem & plenilunium 23. hor. 3. min. 46. post meridiem.

Anno 1654. Aprilis 10. erit Dominica secunda, quia Novilunium Martii 17. hor. 3. min. 47.

Anno 1685. Aprilis 10. erit Dominica secunda, quia novilunum primum 4. Martii hor. 1. min. 17. ante meridiem.

Anno 1687. Aprilis 6. Dominica secunda, quia Novilunium primum Martii 15. hor. 6. min. 55. post meridiem.

Anno 1688. Aprilis 25. Dominica secunda post plenilunium, quia novilunium 3. Martii h. 3. min. 43. ante meridiem.

Anno 1690. Aprilis 30. Mense secundo, quia primum Novilunium 10. Martii hor. 10. min. 24. post merid.

Anno 1691. Aprilis 22. Dominica 2. quia primum novilunium 29. Martii hor. 7. min. 33. ante meridiem.

Anno 1693. Aprilis 26. mense secundo, quia primum novilunium 7. Martii hor. 1. min. 15. ante meridiem.

Anno 1694. Aprilis 18. Dominica 2. quia primum novilunium 26. Martii hor. 10. min. 41. post meridiem.

Anno 1697. Aprilis 14. Dominica 2. quia primum novilunium 25. Martii hor. 10. min. 41. post meridiem.

Anno 1697. Aprilis 14. Dominica 2. quia primum novilunium Martii 22. hor. 1. min. 51. post meridiem.

Anno 1698. Mense 2. nam primum novilunium Martii 11. hora 10. min. 46. post meridiem, & sic de cæteris.

CAPUT VIII.

De Epactis.

EPactæ sunt numeri dierum qui mense Decembri post ultimam Lunationem anni supersunt, ut si ultima Lunatio anni terminetur ultimo die Decembris, ita ut nulla supersit dies, Epacta insequentis Anni erit 0 vel 30, quam signo * declaramus. Si penultimo die claudatur, Epacta erit 1. propter diem qui superest. Si ante penultimo 29. die finiatur, Epacta erit 2. atque ita de reliquis donec ad Lunationem perveniatur, quæ finem habet Calendis Decembris, ita ut 30. dies supersint, tunc enim lunatio illa non est ultima sed penultima, qui dies illi 30. superflui ultimam Lunationem constituunt, ac proinde tunc erit Epacta, 0 vel 30. quæ prædicto signo * notatur. Atqve hæc est causa quod 30. Epactæ possunt esse universim juxta numerum dierum, qui post ultimam lunationem anni possunt superesse. Accidit tamen aliquando, ut Epacta alicujus anni sit unitate major, quàm numerus dierum qui post ultimam lunationem anni præcedentis supersunt,

idque

idque si quando perventum erit ad ultimam Epactam, videlicet 29. aureo numero 19. respondentem tunc enim additur dies, ut ultima Lunatio, embolismica sit numerus 29. dierum, si enim 30. dies contineret, non redirent novilunia post 19. annos solares ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur contingerentque uno die tardiùs, quàm ante 19. annos. Dicuntur hi 30. numeri, Epactæ Græcâ voce, quod latinè idem valet qui dies ascitii, adjectitii aut inerjecti. Adjunguntur enim in fine ultimi mensis Lunaris ad explendum numerum dierum anni solaris, & ad inchoandam primam Lunationem subsequentis anni. Secundum usum progrediuntur Epactæ per continuam additionem 11. dierum quibus annus solaris lunarem superat, abjectis tamen 30, si summa major sit quàm 30. Exempli gratia. Quia annus communis dierum 365. superat annum communem lunarem, dierum 354 diebus 11. propterea. Epacta primi anni erit 11. & significabit novilunia sequentis anni, 11. diebus citiùs contingere quàm præcedenti anno contingebant, & quia secundo anno rursum annus Lunaris totidem diebus superatur à solari, propterea ad priora 11. adduntur alia 11. ut fiant 22. quæ significant novilunia sequentis anni totidem diebus citiùs evenire Simili modo 3. anno adduntur alia 11. ad 22. & fiunt 33, ex quibus rejectis 30. diebus, qui integram lunationem constituebant, retinentur tria, & sic reliqui deinceps numeri procreantur, & ordine suo usurpantur, ita ut prima Epacta sit 11. ultima verò triginta, vel o, aut *. Ut ex sequenti tabula patet 11. 22. 3. 14. 25. 6. 17. 28. 9. 20. 112. 23. 4. 15. 26. 7. 18. 29. 10. 21. 2. 13. 24. 5. 16. 27. 8. 10. 30. vel o. vel *

Quod ad collocationem attinet, poterant quidem Epactæ secundum seriem naturalem numerorum ab 1. ad 30. vel * describi in Calendario: ut tamen a numero dierum ejus-

dem Calendarii distinguerentur, & Novilunia magis naturaliter monstrarent, ordine retrogrado sunt positi, a 30. per 29. usque ad 1. Initio ergo facto a ✳ quæ primo Januarii adscribitur cæteri omnes ordine retrogrado scribuntur, ac deinceps simili ordine repetuntur, donec ad finem Decembris perveniatur, & hac ratione duodecies tantùm singuli Calendario inscribuntur, præter hos undecim ✳ 29. 28. 27. 26. 25. 24. 23. 22. 21. 20. quæ tertiodecimo loco reponuntur ultimis Decembris diebus. Excipitur quoque Epacta 19. alio charactere vel colore distincta, hæc enim etiam ultimæ diei ad Epactam 20. apponitur. Adhibetur & ea cautio, ut sex in locis videlicet 5. Febr. 5. April. 3. Jun. 1. Aug. 29. Sept. 27. Nov. duæ istæ Epactæ videlicet 24. & 25. simul adscribantur, ne alioqui omnes duodecim Lunationes cujusque Epactæ fierent 30. dierum omnesque Epactæ duodecies repetitæ implerent 360. dies qui numerus annum lunarem sex diebus superat: quod esset absurdum. Ut igitur Lunationes exstant alternè 30. & 29. dierum, necesse fuit sex locis binas epactas simul ponere. Deinde quia accidit nonnunquam ut in uno eodemque cyclo decemnovennali utraque harum Epactarum 25. & 24. in usu sit, scribenda erat epacta 25. alio charactere aut colore cum Epacta 26. in sex illis locis, in quibus simul positæ sunt Epactæ 25. & 24, in aliis autem locis ad Epactam 25. scribenda est eadem Epacta 25. alio etiam colore aut charactere: nisi enim hoc fieret, contingeret ut in uno eodemque cyclo decemnovennali, in quo utraque Epacta 24. & 25. in usu est, duæ lunationes sexies in anno inciderent in unam eandemq; diem, & eidem diei duo aurei numeri adscriberentur, videlicet qui in tabula expensa duabus illis expactis superpositi sunt, quod est absurdum & contra rationem cycli decem novennalis, cum novilunia nonnisi post 19. annos elapsos ad eos-

dem

dem dies redire possunt. Qua de re plura Clavius lib. 2. contra Mestlinum cap. 3.

Porrò variis temporibus ex 30. Epactis, variæ decem noveni respondent novemdecem aureis numeris prout solaris ac lunaris æquatio exposcit, ut patebit ex sequentibus quatuor tabellis, quarum quælibet ab eo aureo numero initium sumit, qui illo anno currit, a quo usus tabellæ incipit & licet in his tabellis plerumque Epactæ diversis aureis numeris respondeant, aliquando tamen contingit ut eisdem aureis numeris eædem Epactæ respondeant, quæ olim ante correctionem Calendarii.

Tabella Epactarum respondentium Aureis Numeris ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. detractis prius decem diebus usque ad annum 1700. exclusive.

Aureus num.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.
Epacta	26.	7.	18.	29.	10.	21.	2.	13.	21.	5.	16.	22.	8.

Aureus num.	19.	1.	2.	3.	4.	5.
Epacta.	19.	1.	12.	23.	4.	15.

Tabella Epactarum respondentium aureis numeris ab anno 1700. inclusivè, usque ad annum 1900. exclusivè.

Aur. num.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
Epact.	9.	20.	1.	12.	23.	4.	15.	26.	7.	18.

Aur. num.	1.	2.	3.	4	5.	6.	7.	8.	9.
Epact.	*	11.	22.	3.	14.	25.	6.	17.	28.

Tabella Epactarum respondentium aureis numeris ab anno 1900. inclusivè usque ad annum 2200. exclusivè.

Aurei.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.
Epact.	29.	10.	21.	2.	13.	24.	5.	16.	27.	8.

Aurei.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
Epact.	19.	*	11.	22.	3.	14.	25.	6.	17.

Tabella Epactarum respondentium aureis numeris ab anno 2200. inclusivè, usque annum 2300. exclusivè.

Aurei.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.	6.
Epact.	13.	24.	5.	16.	28.	9.	20.	1.	12.	23.
Aurei.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	
Epactæ.	4.	15.	26.	7.	18.	29.	10.	25.	2	

Sed eædem hæ Epactæ facilius ex tabella Cycli epactarum perpetua extrahi possunt eo modo ut infra docebimus.

Ad extremum, qui Epactam anni propositi habere velit, is quærat primum aureum numerum illius anni eo modo quo in fine præcedentis capitis dictum est, deinde videat quæ nam Epacta in ea ex prædictis tabellis temporariis respondeat quæ eo tempore in usu est, ea enim proposita anno serviet. Quodsi repereris Epactam unius anni per additionem 11. dierum illam conflabis Epactam sequentis anni abjectis semper 30. numerus conflatus major fuerit quàm 30. Quodsi auferas 11. ab Epacta præsentis anni adjectis 30. si alioquin abjectio fieri non posset, reperies Epactam præcedentis anni, & hoc pacto usque ad initium & finem cycli decemnovennalis progredi poteris. Ultra unum tamen cyclum gressus non datur, sed de novo quærenda erit ultima epacta præcedentis cycli, vel prima sequentis.

CAPUT IX.

Quomodo per Epactas Novilunium, Plenilunium, & quæcunque Lunæ ætas cognoscatur?

QUære in mense currente Calendarii reformati Epactam illius anni, nam eo die ex usu Eclesiæ accidit novilunium. Quodsi novilunia versus fines mensium unum diem descendant, indicabuntur per Epactam inferiorem, quæ proximè minor est: si autem versus initia ascendant, indicabuntur per Epactam

Epactam superiorem quæ proxi major est v. g. Si quopiam anno Novilunia indicantur per Epactam 20. & accidat diem intercalarem tunc omitti, indicabuntur eadem per Epactam 19. duæ uno die infra Epactam 20. posita est in calendario. Quodsi propter annos 312. & dimidium elapsos progressa essent sursum versus initia mensium uno die, inquirenda essent novilunia per Epactam 21. Quodsi a tempore Novilunii supputaveris in Calendario dies 7. hor. 9. m. 11. reperies primam Quadrâm. Si autem numeres a tempore Novilunii dies 14. hor. 18. m. 22. reperies plenilunium. Si demum dies 22. hor. 3. min. 33. reperies ultimam quadrationem.

Novilunium arithmeticè sine calendario etiam sic invenies. Cum numerus seu Epacta subtrahenda est major quam 15. & minor quam 30. in omnibus mensibus subtrahes Epactam currentem ex 30. & in Januario quidem & Martio nihil præterea opus; in Februario autem prius epactæ currenti unitatem addes, in reliquis mensibus tot unitates quotum locum post Martium habent, reliquus enim numerus diem novilunii significabit, & decimus quintus ab eo pleniluníum. Quodsi Epacta vel numeruś subtrahendus sit minor quàm 15. aut major quam 30. tunc non novilunium sed plenilunium per eam invenitur hunc in modum. Si Epacta vel numerus subtrahendus sit minor quam 15. subtrahe illum a 15. Si major quàm 30. subtrahe a 45. & residuum plenilunii diem indicabit. Quodsi ad Epactas, additis prius unitatibus, quas ad Novilunia inquirenda diximus esse addendas, adjicias diem mensis propositi, & ex summa abjicias 30. si abiici possunt, conflabis vel reliquam facies ætatem Lunæ quam proposito die habet. v. g. Mense Martio anni 1589. subtrahe Epactam 13. a 30. restant 17. quæ significant 17. esse Novilunium. Si subtraham 13. a 15. manebunt 2. quæ significant secundo die

Mar-

Martii fuisse Plenilunium. Si ad 13. adjiciam quartum diem Martii, quæ est proposita, emergent 17. quæ significant ætatem Lunæ ejus diei. Notandum tamen per prædictas regulas non semper reperiri novilunium, plenilunium, & ætatem lunæ præcisè illis diebus quibus contingunt, eò quod semper detractio fiat ex 30. tanquam si omnes lunationes 30. dies continerent, cùm tamen alternis plerumque constituantur 30. & 29. Vel hoc modo. Assume Epactam currentem, & tot illi adde unitates quotus ille mensis est incipiendo a Martio, ita ut pro Martio addatur 1. pro Aprili 2. sic deinceps, Sed pro Januario 1. pro Februario 2. adde diem mensis & ex aggregato, ut infra dicetur, subtrahe 29. aut 30. reliquum indicabit quota sit dies a Novilunio. Si post abjectionem nihil remanet, ipsa est dies novilunii. Si abjici non possit 30. vel 29. nihil est abjiciendum.

Quæcunque Epacta currat in Aug. Sept. Octob. Nov. Decemb, semper 29. abjiciendi

Si Epacta currat ✱ seu 30. 29. 28, 27. 26. in Jan. Febr. Mart, April. Majo, Junio, Jul. abjiciendi 30.

Si Epacta currat 25. 24. 23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. In Junio Mart. Majo Julio. abjiciendi 30. In Februario verò Apr. Junio, 29.

CAPUT X.

Quomodo per Regulares inveniatur Luna?

R*Egulares* sunt certi numeri mensibus anni attributi, qui cum Epacta currentem ætatem Lunæ, quam ipsis Calendis habet conficiunt. Qui autem Regulares quibus mensibus attribuantur, hoc distichum docebit:

1. 2. 1. 2, 3. 4. 5.
Ars Brevitatis amans bona cunctis dicitur esse
6. 8. 8. 10. 10.
Firmius hæc hærent karmine kompostita

In

In quibus singulæ voces singulis mensibus correspondent. Prior Januariò, reliquæ reliquis, & quotam quælibet literam initialem habet in ordine Alphabeti, tot unitatum regularem sui mensis significabit. Vides autem hos Regulares ferè convenire cum illis unitatibus, quas capite præcedenti adjiciendas Epactis diximus pro novilunio inquirendo. Differentia tantùm est in unitate quâ hi numeri illos superant, præter Septembrem & Novembrem, qui duabus unitatibus numeros illos superant. Ut ergo reperias ætatem Lunæ in Calendis, seu principio cujusque mensis, adde regularem ejus mensis ad Epactam & prodibit ætas Lunæ. Pro omni die reperies, si dies mensis elapsos addas ad ætatem Lunæ quam in Calendis mensium habet abjectis 30. si numerus major emergat quàm 30.

CAPUT II.

Quid sit & quomodo reperiatur Cyclus Solaris?

Cyclus Solaris seu literarum Dominicalium, est revolutio 28. annorum ab 1. ad 28. quâ revolutione peractâ iterum ad 1. reditur, & secundum seriem naturalem per alios numeros pergitur. Quemadmodum autem quilibet annus aurei numeri seu Cycli lunaris, ita etiam hujus cycli solaris quilibet sumit initium a Januario. Procreatur hic cyclus solaris 28. annorum ex multiplicatione 7. per 4. propterea quòd propter dies 7. hebdomadæ, septem sint literæ Dominicales, & quovis quarto anno ordinariè dies unus intercalatur, recipianturqve duæ literæ Dominicales, quæ tamen post spatium 28. annorum rursus eodem ordine redeunt. Progrediuntur numeri hujus cycli solaris, tàm secundùm usum, quàm secundum collocationem ordine naturali, & hunc in modum pro quolibet anno reperiuntur. Annis Christi adde 9. totum

divide per 28, quotiens revolutionem cyclorum significabit. Residuum verò numerum cycli currentis. v. g. Si ad annum præsentem 1671. addas 9. habebis 1680. hæc si dividas per 28, resiatum erit o. hoc est 28. Ordinatur hic cyclus ad literam Dominicalem inveniendam, quod quomodo fiat sequenti capite docebimus.

CAPUT XII.

De litera Dominicali.

LIteræ Dominicales sunt septem primæ Alphabeti literæ, quæ quidem secundum collocationem in Calendario ordine naturali progrediuntur, secundùm usum verò ordine retrogrado, ita tamen ut quarto quovis anno duæ sint in usu, prior secundùm ordinem retrogradum a principio anni ad festum S. Matthiæ, quod celebratur 24. Febr. altera autem ab eo festo usque ad finem anni. Hæ literæ ordine retrogrado in 28. cellas distinguuntur quartæ cuique cellæ duabus literis appositis. Olim quidem ante correctionem Calendarii perpetuus erat ordo iste literarum, ita ut post 28. annos omnes eodem ordine redirent, quo ante in priori cyclo solari usurpatæ fuerant: nunc verò post reformationem Calendarii propter decem dies ablatos ex mense Octobris anni 1582, tum etiam propter tres bissextos quibuscunque quadringentis annis omittendos, necessariò interrumpitur. Itaque in posterum nulla tabula sine æquatione perpetua esse potest, sed tantùm 100. annis, cum dies intercalaris omittitur, vel 200. cùm non omittitur, ut fiet deinceps quoque centenario. Itaquè sequens tabula in qua proponitur ordo & usu literarum Dominicalium, tantùm durabit ab anno correctionis, detractis prius decem diebus usque ad annum 1700. exclusivè.

Tabula literarum Dominicalium ab idibus Octobris anni correctionis 1682. detractis decem diebus, usque ad annum

1700.

1700. exclusivè, una cum numeris cycli solaris supra scriptis. Incipiunt autem ab his annis literæ infra scriptæ, hoc est a 1582. 1610. 1638. 1666. 1694.

23.	24.	25.	26.	27.	28.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
C.	B.	A.	F.	E.	D.	C,	A.	G.	F.	E.	C.	B.	A.
		G.				B.				D.			

9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.	22.
G.	E.	D.	C.	B.	G.	F.	E.	D.	B.	A.	G.	F.	D.
F.				A.				C.				E.	

Literam ergo Dominicalem reperturus quære per præcedentem regulam annum cycli solaris & in hac tabula sub illo numero cycli currentis literam Dominicalem reperies. v. g. primam literam tabulæ quæ est C. tribue anno 1582. postea progredere secundum ordinem annorum & literarum, & in quam annus currens incidet, ea est in usu. Sed ne cogaris sæpius eundem cyclus numerando percensere, adverte in titulo hujus tabulæ positos annos Domini a quibus prædicta tabula cycli solaris & literarum Dominicalium incipit, quem ergo numerum ex prædictis annus Domini currens proximè superat, ab eo numerationem a principio tabulæ incipe & progredere usque ad annum currentem, ita tamen ut ultimus annus sit minor anno 1700.

Quodsi quis cyclum solarem ab initio vellet incipere, is ab anno 1588. eum inciperet, & hunc modum tabellam cum literis Dominicalibus disponere deberet.

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.
C.	A.	G.	F.	E.	C.	B.	A.	G.	E.	D.	C.	B.	G.
B.				D.				F.				A.	

15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.	22.	23.	24.	25.	26.	27.	28.
F.	E.	D.	B.	A.	G.	F.	D.	C.	B.	A.	F.	E.	D.
		C.				E.				G			

Radices hujus tabulæ sunt 1588. 1616. 1644. 1672. quibus finitis, anno 1700. alia tabula incipiet de quo infra.

CAPUT XIII.

Quinam annus sit Bissextilis.

ANnus Bissextilis est quartus quisque annus quo dies unus intercalatur post festum S. Matthiæ Apostoli, quod cadit in 24. Febr. Et quia tunc bis dicitur sexto Calendas Martii, videlicet 25. & 25. Febr. inde factum est ut annus ille bissextilis nominetur. Etsi autem posthac tribus primis centesimis non intercaletur dies, ut tractatu isto cap. 5. dictum est: nihilominus tamen & illi in Bissextilibus numerantur, eò, quòd licet non dicamus tunc bis sexto Calendas, dicere tamen deberemus, nisi propter æquationem lunæ extraordinariò omitteretur dies intercalaris. Qui autem annus sit bissextus, aut quotus post eum cognosces. Annos Domini divide per 4. & quotiens ostendet quotnam cycli bissextilis transierint à Christo nato, residuum autem quotus sit annus post bissextum. Si autem nihil supersit ille ipse annus bissextilis erit. Atque hæc regula communis est omnibus annis. Sed præter illam dantur aliæ duæ particulares, quarum una servit annis non centesimis, altera centesimis. Prior talis est. Proposito quovis anno rejice omnes millenarios & centenarios & ex residuis numerum 20. quoties potes, reliquos autem per 4. divide, & ex residuo cognosces num annus sit bissextilis nec ne? & quoties sit post bissextum. Si enim nihil supersit, bissextilis est; sin aliquid, communis, & quidem tanto distat a bissexto quantus est numerus residui. Altera regula talis est. Figuras numerorum quæ ultra quartum locum ponuntur a dextra versùs sinistram, rejice omnes, quæ aut tertio aut quarto loco ponuntur, eas seorsim considera, dummodò non sint ciphræ. Quodsi alterutra sit ciphra, tum eâ omisśâ solùm alteram considera, & unitates ejus per 4. divide si potes, & ex residuo,

ut priùs, cognosces num annus propositus bissextilis sit nec ne, & quotus post ipsum. Si non posses dividere numerum per 4. annus communis erit, & post bissextum tot annis distabit quot unitates numerus ille continebit. His regulis etiam adjungi potest alia, ut videlicet animadvertamus, an numerus annorum propositorum dividi possit in medietates pares nec ne. Si enim possis, bissextus est: sin minus, communis. Ut autem hoc scias quotus sit post bissextum, adverte quis numerus proximè minor in medietates pares dividi possit. Nam quot unitatibus ille prior annus propositus ab isto distabit, totidem annis distabit a bissexto. Quodsi velis considerare numerum proximè majorem, qui in duas medietates pares dividi possit, etiam ex illo colliges quotus sit annus post Bissextum. Sit exemplo proponatur annus 92. post Bissextum supra 1000, quia dividi potest in duas medietates pares videlicet in bis 46, dico esse bissextilem 93. quia in duas medietates pares nequit secari, dico esse communem. Et quia ante ipsum proximus bissextilis erat, & in duas medietates distrahi poterat, dico illum primum esse post bissextum. Similiter & annum 94. dico esse communem, licet enim in duas medietates æquales dividi possit, videlicet in bis 74. non tamen in duas medietates pares, eò quòd 47. numerus sit impar, & in duo æqualia dividi non possit. Et quia duabus unitatibus a 92, qui bissextus erat distat; secundum a bissexto dicemus. Notandum verò cùm magnus numerus annorum proponitur, omnes centenarios abjici debere, eò quod illi omnes bissexti sint, & tantùm considerandos esse annos expansos supra ultimum centenarium. Qualis enim annus expansus erit, talis & totus numerus: & quia annus 92. bissextus est, & annus 1592. bissextus erit; & quia annus 93. communis est, & primus post bissextum, & annus 1593. talis erit; atque idem judicium facies memor doctrinæ datæ de Bissextis.

✠ *Tabula perpetua ex qua innotescit quotus annus, quæ sit prima dies cujusque mensis. Finitâ tabulâ ad initium redi.*

Anni	Jan.	Febr.	Mart.	April.	Mai.	Jun.	Jul.	Aug.	Sept.	Octob.	Nov.	Decem.
1674	2	5	5	Dom,	3	5	Dom	4	Sab.	2	5	Sab
1675	3	6	6	2	4	Sab	2	5	Dom	3	6	Dom,
1676	4	Sab	Sab	3	5	Dom	3	6	2	4	Sab	2
1677	5	Dom	Dom	4	6	2	4	Sab	3	5	Dom	3
1678	6	2	2	5	Sab	3	5	Dom	4	6	2	4
1679	Sab	3	3	6	Dom	4	6	2	5	Sab.	3	5
1680	Dom	4	4	Sab	2	5	Sab	3	6	Dom	4	6
1681	2	5	5	Dom	3	6	Dom	4.	Sab.	2	5	Sab
1682	3	6	6	2	4	Sab	2	5	Dom	3	6	Dom
1683	4	Sab	Sab	3	5	Dom	3	6	2	4	Sab	2
1684	5	Dom,	Dom	4	6	2	4	Sab	3	5	Dom	3
1685	6	2	2	5	Sab	3	5	Dom	4	6	2	4
1686	Sab	3	3	6	Dom	4	6	2	5	Sab.	3	5
1687	Dom	4	4	Sab	2	5	Sab	3	6	Dom	4	6
1688	2	5	5	Dom	3	6	Dom	4	Sab	2	5	Sab
1689	3	6	6	2	4	Sab	2	5	Dom	3	6	Dom
1690	4	Sab	Sab	3	5	Dom	3	6	2	4	Sab	2
1691	5	Dom	Dom	4	6	2	4	Sab	3	5	Dom	3
1692	6	2	2	5	Sab	3	5	Dom	4	6	2	4
1663	Sab	3	3	6	Dom	4	6	2	5	Sab	3	5
1693	Dom	4	4	Sab	2	5	Sab	3	6	Dom	4	6
1694	2	5	5	Dom	3	6	Dom	4	Sab	2	5	Sab
1695	3	6	6	2	4	Sab	2	5	Dom	3	6	Dom
1696	4	Sab	Sab	3	5	Dom	3	6	2	4	Sab.	2
1697	5	Dom	Dom	4	6	2	4	Sab	3	5	Dom	3
1698	6	2	2	5	Sab	3	5	Dom	4	6	2	4
1699	Sab	3	3	6	Dom	4	6	2	5	Sab	3	5
1700	Dom	4	4	Sab	2	5	Sab	3	6	Dom	4	6

CAPUT XIV.

Quot dies intercalares omissi sunt ab anno correctionis usque ad quemcunque centesimum.

AUfer ex dato numero 1500. reliquos centesimos partire per 4. quotientem multiplica per 3. producto residuum divisionis adde, & conficies numerum dierum exemptorum usque ad centesimum datum, cui si addas decem dies tempore correctionis Calendarii omissos, dies exemptos omnes habebis. Sic colliges usque ad annum 6790, diei 49. omitti. Alio modo idem sic cognosces. Omnes centesimos divide per 4. ex quotiente aufer 4. reliquum per 3. multiplica, producto residuum divisionis adjunge. Sit exemplo. Ex hoc numero 6790. divido 67. per 4, & proveniunt 16$\frac{3}{4}$ tum ex 16. aufero 4. & remanent 12. hæc multiplico per 3. & proveniunt 36. his addo residuum videlicet 3. & fiunt 39. quibus si addantur 10. dies tempore correctionis Calendarii omissi, efficiuntur 49. ✠

CAPUT XV.

Quomodo decima quarta Luna & Pascha inveniantur:

QUoniam ex decreto Concilii Nicæni Pascha celebrari debet Dominicâ quæ proximè succedit decimæ quartæ Lunæ primi mensis; is verò apud Hebræos vocatur primus mensis cujus 14. Luna cadit vel in diem verni æquinoctii (quod die 21. Martii contingit) vel propiùs ipsum sequitur, hinc fit ut si Epacta quæratur cujusvis anni, & ab ea in calendario notata inter diem octavum Martii inclusivè, & quintum Aprilis exclusivè (hujus enim Epactæ 14. Luna cadet in 21. Martii, vel eam propiùs sequetur) numerentur inclusivè deorsum versus dies 14. primus dies Dominicus diem hunc 14. sequens erit dies Paschæ, atque hic est primus modus.

Alio modo diem eundem Paschæ ita reperies. Epa-

ctam

ctam currentem subtrahe a 30. residuo adde 14, si numerus agregatus sit major quàm 20. (semper enim 14. Lunæ post 21. Martii accidere debet) aggregatum decimamquartam lunam exhibebit a principio Martii numerandam. Sin minor, addendæ sunt 30. dies insequentis lunationis, aut 29. Si Epacta 25. sit diversi coloris aut 24. (utraque enim mense Majo inchoatam habet lunationem 29. dierum) & aggregatum ut priùs decimamquartam lunam paschalem exhibebit a Calendis Martii numerandam. V. g. sit Epacta 20, ea detrahatur a 30. remanebunt 10. quibus adjungantur 14. & efficientur 24. qui numerus significabit decimamquartam lunam Paschalem, cadere in 24. diem Martii. Sin Epacta sit 25. iis detractis a 30, remanent 5. quibus si addas 14 efficiuntur 19. qui numerus quoniam minor est quam 20. non significabit 14. lunam, sed adduntur ei 30. dies alterius Lunationis, & efficiuntur 49, qui numerus significat 49. diem a prima Martii, hoc est abjectis 31. diebus Martii, die 18. Aprilis esse decimamquartam Lunam paschalem, seu Hebræorum Pascha.

Tertio eandem decimam quartam lunam Paschalem sic invenies, Epactæ currenti addatur 6. Summa deinde horum, si minor est quàm 30. aut certè si minor non est numerus quo ille conflatus superat 30. detrahatur ex 30. Vel si Epacta 25. diversi coloris aut characteris 24. (quorum utraque per unum diem sursum promota est in mense Aprili proptereaq; Lunationem efficit dierum duntaxat 29.) in usu est, ex 29. reliquo denique numero abjiciantur 20. (qui est numerus duabus unitatibus minor radice Paschæ) collectus enim numerus dabit Lunam decimamquartam paschalem a Calendis Martii numerandam. Sit exemplo. Epacta sit 10. illi adjiciantur 6. fiunt 16. quæ ex 30. detracta relinquunt 14. cui numero si addantur 20. efficiuntur 34. die igitur 34. a cal. Martii occur-

occurret decimaquarta Luna Paſchalis, hoc eſt die 3. April. Lunâ 14. inventa ex regulis ſequentibus, quæ cap. 19. de initiis menſium tradentur, inquirere debes: ſi aliunde neſcias, quinam dies hebdomadæ ſit ille in quem 14. Lunæ cadit inde facilè colliges quo die Paſcha ſit celebrandum, cum ſemper proximâ Dominicâ celebretur. Tot enim dies addes ad diem in quem 14. Luna cadit, quot ab ea die, usque ad proximam Dominicam incluſivè dies ſuperſunt.

Alio modo ſic reperitur Paſcha. Poſt octavum diem Martii quære Novilunium, & tertiâ Dominicâ poſt illud celebrabitur Paſcha, id quod ſequenti verſu ſignificatur.

Poſt Martis nonas ubi ſit nova Luna require,
Tertia lux Domini proxima Paſcha tenet.

Hunc modum Antiqui ſic tradebant. Poſt feſtum Felicitatis aureum numerum requiratis, & in tertia Dominica Paſchabitis. Sed quia nunc in aurei numeri locum Epactæ ſunt ſubſtitutæ propterea Epacta loco aurei numeri aſſumi debet. Celebratur autem feſtum S. Felicitatis 7. die Martii. Itaque ab octavo die Martii proximam Epactam anni currentis quærere debemus, & ea Novilunium Paſchale demonſtrabit, poſt quam Dominicâ tertiâ ſequenti celebrabitur feſtum Paſchatis.

Brevisſimus modus reperiendi Paſcha eſt iſte.. Poſt 12 Cal. Apr. hoc eſt poſt 21. Martii quære Lunam 14. & proxima Dominicâ celebrabitur Paſcha. vel ſic. Ab octava Martii usque ad 5. April. quære in Calendario Epactam currentem, & tertia poſt illam Dominica erit Paſcha.

CAPUT XVI.

Quomodo reliqua feſta Paſchalia reperiantur?

INvento die Paſchæ, reliqua feſta mobilia facilè & quidem multis modis reperientur.

Primò si ante diem Paschæ numerentur sex Dominicæ in Calendario, habebitur prima Dominica Quadragesimæ,& proximè præcedens feria quarta erit prima dies quadragesimæ, hoc est dies Cinerum, quam proximè præcedit Quinquagesima, eam sexagesima, & hanc septuagesima. Si verò post Dominicam Paschæ in Calendario numerentur quinque Dominicæ, sequentur statim dies Rogationum, & proximè sequens feria quinta erit Ascensio Christi, Septima autem Dominica post Pascha, erit dies Pentecostes, cui statim succedit Dominica SS. Trinitatis, & feriâ quintâ proximâ celebrabitur festum Corporis Christi.

Eadem festa sic reperies. Reperto die Paschatis, retrocede per 46. dies, & invenies diem Cinerum, a qua ulterius per 17. dies retrogrediendo Dominicam Septuagesimæ invenies. Item a Paschate numeratis 40. diebus celebrabitur Ascensio; & inde post dies 10. Pentecoste, post quam diebus 11. exactis occurret festum Corporis Christi.

Alio modo eadem festa mobilia per claves eorum proprias, seu per radices aut sedes ante quas nunquam celebrantur, in ipsis tamen quandoque, & post ipsas plerumque. Sunt autem istæ: Septuagesimæ 18. Jan. Cinerum 4. Febr. Paschatis 22. Martii. Ascensionis 30. April. Pentecostes 10. Maij. Corporis Christi 21. Maij. Quæ radices versiculis sequentibus continentur.

Octodecim Janus, Februus sed quatuor optat
Viginti duo Mars, triginta poscit Aprilis,
Bis quinque dat Majus, ter septem postulat idem.

Radicibus cognotis operare prorsus eodem modo quo cap. præcedenti 14. Lunam invenisti, simili enim etiam modo festa Paschalia invenies. Sed duo diligenter observabis. 1. ut sicut ibi clavem Paschatis duabus unitatibus diminuisti ac minorem fecisti,

fecisti, ita etiam hîc non ipsasmet sedes seu claves adhibeas, sed numeros duabus unitatibus minores quâm sint claves, ut pro Septuagesima non 18. sed 16. pro die cinerum non 4. sed 2. & sic de reliquis. 2. Ut quemadmodum ad decimam quartam lunam inventam, tot addis dies pro festo Paschatis, quot diebus proxima Dominica inclusivè a die 14. Lunæ distat: totidem etiam ad inventum singulorum aliorum festorum sua festa præcedent. v. g. Sic Septuagesimam pro anno 1589. reperies. Epacta currenti quæ est 13, adde 6. & habebis 19. quæ ex 30. subtrahes, & relinquent 11, his adjunge sedem septuagesimæ duabus unitatibus diminitam, videlicet 16. cum alioquin esset 18. & habebis 27. qui numerus a principio Januarii inceptus, cadit in similem diem hebdomadis quo 14. Luna, videlicet in feriam sextam, Sicuti ergo ad 14. lunam adjiciuntur 2. dies, videlicet dies Sabbati & dies Dominica, ut habeatur Pascha: ita & in proposito adjicere duos debes ad 27. ut habeas Dominicam Septuagesimæ, ac proinde dices eam cadere in 29. Jan. eademque est ratio cæterorum. Illud præterea observabis, ut in Bissexto omnia festa mobilia per posteriorem literam Dominicalem quæras. eâ tamen lege ut ad diem Septuagesimæ inventum, semper adjiciatur una dies: ad diem verò Cinerum, tum demum, cùm is mense Februario, non autem Martio inventus fuerit.

Alius modus est talis. Vide Novilunium postremum Febr. & proximus dies Mercurii sive antecedens sive consequens erit dies Cinerum cui si adjungas dies 40. habebis Pascha: si insuper addas dies 35. habebis Dominicam Rogationum si 4. alios, festum Ascensionis. Si 10. alios, Pentecosten: si 11. alios, Corpus Domini.

Alius modus ita se habet. In Epiphania Domini vide quota sit luna, & ab ea ætatæ lunæ, seu ab eo loco & numero ætatem

tem lunæ significante perge in Calendario dies sequentes numerare usque ad 40. in anno communi: in bissextili verò usque ad 41. Nam proximâ die Dominicâ celebrabitur septuagesima. Quodsi prædictus numerus cadat in ipsam Dominicam, eâ omissâ accipis proximè sequentem pro septuagesimá. Eâ repertâ facilè alia festa reperies Nam à septuagesima usque ad quadragesimam sunt tres integræ septimanæ: a Quadragesima usque ad Pascha 6. à. Paschate usque ad Dòminicam proximè dies Rogationum præcedentem 5. ab hac usque ad Pentecosten 2. ita ut a Paschate ad Pentecosten sint 7. Septimanæ seu 50. dies inde post octiduum festum SS. Trinitatis celebratur & proximâ die Jovis post illud festum Corporis Christi. Hic modus inveniendi septuagesimam sequentibus versibus tradi solet.

A festo stellæ numerando, perfice Lunam
Quadraginta dies post, septuagesima fiet.
Bissextus quando fuerit superadditur unus.
Si cadit in lucem Domini, tunc sume sequentem
Linque diem Domini primum, sumasque secundum.

CAPUT XVI.

Quo die Adventus Domini celebretur?

ADventus Domini semper celebratur Dominicâ viciniore festo S. Andreæ Apostoli nempe a 27. Nov. inclusivè, usque ad diem 3. Decembr. inclusivè: ita ut litera Dominicalis currens, quæ reperitur inter hos terminos in calendario, indicet Dominicam Adventus. Vel sic cum festum S. Andreæ celebretur 30. Nov. vide in quem diem septimanæ incidat. Cum enim Adventus in Dominica propinquiore celebretur, facile conjicietur quo die sit celebrandus v. g. Si festum S. Andreæ caderet in feriam sextam, colligeres duabus diebus postea, hoc est 2. Dec. esse celebrandum.

CAPUT

CAPUT XVIII.

Quod sint Dominicæ inter Pentecosten & Adventum?

VIde quotnam sint Dominicæ post Pascha usque ad S. Georgium inclusivè, qui in diem 23. April. incidit hoc est quoties 7. in diebus post Pascha, usque ad S. Georgium inclusivè contineantur tot enim Dominicæ addendæ sunt ad 24. Quodsi Pascha in diem S. Georgii incidit, erunt 24. Si prius celebretur solum 23.

CAPUT XIX.

Qua feriâ quove die mensis quilibet incipiat!

COnjunge concurrentes cum Regularibus cujusque mensis, & productum si non superet 7. ostendet quâ feriâ incipiant menses. Quodsi superet 7. illis adjectis, residuum id monstrabit v. g. Si quæratur quo die inceperit December anno 1589. quia nullus est concurrens, accipe tantùm regularem 6. & dico feriâ sextâ illum incipere. Quod ipsum etiam in hunc modum cognosces primo disce quænam litera Dominicalis primo diei cujusvis mensis in Calendario præfigatur, id quod ex 12. vocibus horum versuum cognosces, quarum prima Januaro tribuitur, 2. Februario &c. & prima litera cujusvis vocis est ea Dominicalis quæ in Calendario calendis ejus mensis apponitur. Sunt hæ voces.

1. 4. 4. 7 2. 5.
Astra, dabit Dominus, gratisque beabit, egenos
7. 3. 6. 1. 4. 6.
Gratia, Christicolæ, feret, aurea, dona, fideli.

His cognitis adverte, quantum ea litera a Dominicali distet, & inde facilè colliges feriam v. g. quia anno 1589. litera Dominicalis erat A, & calendis Decembris litera F. præfigitur, facilè colligo eum tunc a feria sexta incepisse, eo quod numerando literas

literas ab A usque ad F. inclusivè, 7. proveniunt, & quòd inter F. & A. solùm una litera videlicet G. interjiciatur.

CAPUT XX.

De Regularibus Solis.

REgulares solis sunt certi numeri singulis mensibus attributi, qui desumuntur ab ea litera Dominicali, quæ Calendis mensium proponitur. Quoto enim ea litera in Alphabeto ponitur loco tantum regularem producit, ut A producit 1. B. 2. C. 3. &c. Cum autem jam cap. præced. cognitum sit quæ litera Dominicalis mensium Calendis affigatur facilè colligitur quinam Regulares iisdem mensibus tribuantur. Tribuuntur verò isti.

Januario 1.	Majo 2.	Septembri 6.
Februario 4.	Junio 5.	Octobri 2.
Martio 4.	Julio 7.	Novemb. 4.
Aprili 7.	Aug. 3.	Decembr. 6.

Atque hos numeros ex versibus capite præterito positis facile memoria tenebis: usum verò eorum partim ex cap. præced. partim ex seq. intelliges.

CAPUT XXI.

Quæ sit feria qualibet die mensis.

SI numerus dierum propositorum non superet 7. ex cognitione primæ diei per caput 19. intellecti, facilè feriam propositæ diei colliges. Sinc superet 7. aufer a proposito numero dierum mensis 7. quoties potes & residuum cum feria prima diei compara. Si enim in ordine feriarum, a prima mensis usque ad numerum residui perges cadet in ipsum feria ipsi debita, ut v. g. si quæratur quæ sit anno 1671. feria 25. Decembris, aufero primum ex 25. ter septem, quæ efficiunt 21. & restant 4. quæ ab F. litera primæ Decembris proposita, per literas Dominicales ordine suo numeros ducendo F. G. A. B. & colligo literam

literam B. Diei 25. Decembr. præponi. Deinde quia scio D. literalem esse Dominicalem anni propositi, & D. statim sequi post e, f, g, A, b, esseq; quintam literam ab ea, colligo 25 Decembr. anni propositi esse feriam sextam. Id quod ex regularibus sic cognosci potest. Si numerus dierum propositorum non superet regularem mensis propositi vel 7. & literam Dominicalem cognoscas, statim ex illis colliges feriam. Si autem superet 7. tum auferes primò a toto numero residuum regularis usque ad 8. inclusisse, & ex residuo aufer 7. quoties potes, & sic abstuleris diem similem primæ feriæ mensis, a qua exclusivè si numeres ferias, per residuum numerum incides in feriam diei propositæ; ut si proponatur eadem dies 25. Dec. auferes primum 2. quæ sunt residuum Regularis Decembris, & restant 23. ex quibus auferes ter 7. & abstulisti diem similem feriæ primi diei, qui anno proposito est feria tertia. Residuum ergo quod est tria numerabis per sequentes ferias, dicendo, dies. 4. 5. 6. & veniet sexta quæ est dies proposita.

Romulus regnare cæpit anno V. C. primo. Regibus exactis primi Consules Romæ creati sunt, eo anno quo iniit V. C. 245. Xerxes transit in Græciam anno 1. Olymp. 75. Magnus Alexander vicit Darium an. 2. Olymp. 112: Idem morte, vincitur an. 1. Olymp. 114. Cicerone Cos. iniit annus urbis 691. Cæsus est Julius Cæsar die 15. Martii anno V. C. 709. exeunte. Anno Regni Græcorum 149. Machabæi Templo repurgato Encænia celebrarunt die XXV. Casleu: Anno 2. Darii Histaspis, qui pariatur anno Urbis 234. Aggæus & Zacharias Prophetæ animos Judæorum ad templi structuram excitant. Horum singula quoto anno ante æram Christi acciderunt?

Usus Historicus literæ Dominicalis & Epactarum.

Dionysianus canon festorum mobilium non fuit ubiq; receptus usque ad annum Christi circiter 600. Nam teste Gre-

Gregorio Turon. an Dom. 504. plerique in Galliis Pascha celebrarunt XI. Aprilis, alii XVIII, ac proinde mirum non est, quod aliquæ historiæ discrepent à Tabula Paschali reformata. Primis quatuor annis Christi Literæ Dominicales fuerunt A, G, F, E. inde usque ad an. Dom. 1582. non est mutata ratio Calendarii.

Accidit quandoque dissensio inter Chronologos, quæ harum tabularum beneficio dirimi potest. EX. G. Fatentur omnes Robertum Regem eo anno obiisse, quo sol defecit 29. Junii. Aliqui hoc referunt ad an. Dom. 1032. alii ad 1033. Certum est autem secundum communem naturæ cursum, non fieri solis eclipsin, nisi novilunio, ipsis Epactis signato: non quidem exactæ sed more civili, ita ut Epactæ ultra biduum triduumve non absint à noviluniis, quod sufficit ad ferendum de duorum aut trium annorum dissidio judicium. Quærenda igitur Epacta anni 1032. quæ est XV. & distat à 29. Junii plus octiduo: Epacta verò anni 1033. est XXVI. quam inter & 29. Junii biduum duntaxat ponitur: ergo hoc potius anno Regis obitus signari debet. Exercitii causa exempla sequentia examinari possunt. Baronius notat pium Othonis Imp. obitum an. Dom. 973. 7. Maji feria 4. ante Pentecosten. Ludovici autem an. 480. Cal. Julii cum sol defecisset die 5. Maji, pridie Ascensionis Domini: Item Ludovici Balbi 4. Idus Aprilis, die Parasceves Indict. 12. an. 899. Concilium Ephesinum quartum Oecumenicum dicitur inceptum 21. Junii die 15. post Pentecosten, circa an. Dom. 431. Sol defecit 1. Augusti anno Christi 45. vel 47. item ultima Aprilis an. 59. vel 61. S. Paula piè defuncta est feria 3. VII. Cal. Febr. Honorio Augusto VI. & Aristeneto Coss. an. 404. vel 406. S. Marcus subiit Martyrium 25. Aprilis die Dominica an. 62. vel 63. vel 64. Evertit Titus urbem Ierosolymitanam, eo anno quo octava Septembris in Sabbatum incidit an. 70. vel

vel 72. Christi. Obiit Constantinus Magnus in festo Pente-
costes 22. die Maij an. Dom, 336. vel 337. Ad varias Epo-
chas aptè inter se conjungendas, haud exiguum præsidium af-
fert Censorinus his verbis: *Hic annus, cujus velut index & titu-
lus quidam est Ulpii & Pontiani Consulatus, ab Olympiade prima,
millesimus est & quartus decimus. ex diebus duntaxat æstivis, qui-
bus Agon Olympicus celebratur. A Roma autem condita 991. & qui-
dem ex Palilibus, unde Urbis anni numerantur. Eorum verò an-
norum quibus Julianis nomen est 283. sed ex die Calend. Jan. unde
Julius Cæsar anni a se constituti fecit principium. At eorum qui vo-
cantur anni Augustorum 265. perinde ex Cal. Januarii, &c. Sed
Ægyptii, quod biennio ante in potestatem ditionemque Populi Rom. ve-
nerunt habent hunc annum Augustorum 267.* intellige sub finem
mensis Augusti terminandum.

CAPUT XXII.

De Concurrentibus.

CONcurrentes sunt dies, qui post ultimum Sabbatum anni su-
persunt usque ad novum annum, seu primam diem Jan. ex-
clusivè, anni sequentis. Atque hi concurrentes semper anno
sequenti tribuuntur qui enim supersunt hoc anno 1671. dicun-
tur esse concurrentes anni 1672. Illos autem cognosces ex li-
tera Dominicali, si enim cognoscas per caput 19. in qua feria
incipiat annus, facilè cognosces quot dies post ultimum Sa-
batum superfuerunt. Numerabis enim a die Domiinica usque
ad feriam primi diei Januarii v. g. Cum annus incipiat a feria
4. præcedunt illum três dies, videlicet, Dominica, feria 2. & 3.
quæ sequuntur ultimum Sabbatum præcedentis anni, ac proin-
de tres erunt concurrentes, qui tamen etiam ex cyclo solari
cognoscuntur, ut enim literæ Dominicales ita & concurrentes
eidem respondent, eo modo, quo in hac tabula cernere licet,
quæ quidem incipit anno 1588. & procedit per annos 1616. 1644.
1672. P Cyclus

Cyclus.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
Concurr.	6	0	1	2	4	5	6	0	2	3	4	5	0
Literæ.	CB	A	G	F	ED	C	B	A	GF	E	D	C	BA
Cyclus.	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24		
Concurr.	1	2	3	5	6	0	1	3	4	5	6		
Literæ	G	F	E	DC	B	A	G	FE	D	C	B		
Cyclus	25	26	27	28									
Concurr.	1	2	3	4									
Literæ.	AG	F	E	D									

CAPUT XXIII.

De loco Solis in Zodiaco.

PRO hujus cognitione habendi sunt præ oculis duo versus hi: *Sunt Aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo*
Libraque, Scorpius, Arcitenens, caper, amphora, Pisces.

Hæc enim 12. signa isto omni ordine 12. mensibus attribuuntur, illos a Martio numerare incipiendo. Nam primum signum videlicet Aries ingreditur Januario. Secundum Taurus Aprili, & sic deinceps. Hoc cognito, quærendum est quo die signum in mensem sibi designatum ingrediatur, quod docebunt sequentes versiculi

3 11 9 9 8 8
Inclyta laus justis impenditur Hæresis horret
6 6 6 6 7 8
Firmaque facta fides felici gaudet honore.

Nam 12. voces horum versuum duodecim anni mensibus attribuuntur, & eodem ordine quo sunt positæ eis correspondent, facto initio a Januario, cui prima vox *Inclyta* tribuitur. Igitur ut diem habens quo sol diem proprii mensis intrat, vide, quotum nam locum in ordine Alphabeti occupat prima litera

tera vocis quæ proposito mensi respondet. Si enim tot unitates ex 30. subtrahas, reliquus fiet numerus ejus diei quo Sol signum ejusdem diei ingreditur, v. g. si scire velim quo die Martii sol ingrediatur suum signum, accipio tertiam vocem videlicet *Justis*, quæ quoniam a nona litera Alphabeti incipit subtraho 9. a 30. & remaneat 21. Dico ergo solem 21. Martii ingredi Arietem, eademque est ratio in cæteris. Notandum autem literarum dictorum numeros vocari mensium radices: numerum verò dierum mensis qui post detractionem prædictæ radicis relinquitur, seu quo sol signum ingreditur, appellari radicem seu clavem signorum. Utrasque porro radices & mensium & signorum ex hac tabella accipe

9. Martii	9.	♈	21.	6. Sept.	7.	♎	24
9. April	10.	♉	21.	6. Oct.	6.	♏	24.
8. Maij	9.	♊	22.	7. Nov.	7.	♐	23.
8. Jun.	9.	♋	22.	8. Dec.	7.	♒	21.
6. Jul.	8	♌	24	9. Jan.			

In hac tabella numeri mensibus præpositi, significant residuum dierum ab ingressu usque ad 30. numeri verò iisdem postpositi significant residuum a die ingressûs præcedentis mensis, usque ad finem dierum ejusdem mensis. Reliqui demum numeri signis Zodiaci postpositi designant diem ingressus. Ex omnibus autem ejusmodi radicibus locus solis in Zodiaco cognosci potest. Ex radicibus quidem signorum hunc in modum. Si numerus dierum oblatorum sit minor radice signi ejusdem mensis, subtrahe illam radicem signi â numero dierum, & reliquum significabit locum solis in signo eidem mensi adscripto. Sin minor, subtrahenda erit radix a 30. & reliquum addendum diebus mensis, summa locum solis ostendet. Sed hæc secunda regula supponit singulos menses habere 30. dies, quod falsum

est, itaque ut certiùs locus solis inveniatur, ita agendum. Cùm numerus propositus dierum mensis est minor radice signi ejusdem mensis, tunc subtrahenda est radix præcedentis signi a maximo numero dierum ejusdem mensis præcedentis, & reliquum adjungendum diebus oblatis significabitq; numerus aggregatus locum Solis in signo ejusdem mensis præcedentis.

Ex radicibus posterioribus mensium sic colligitur locus solis. Ad diem propositum mensis adde radicem ejusdem mensis, & aggregatum si 30. non excedat, significabit gradum signi præcedenti mensi adscripti: sin superet, abjice 30. & reliquum significabit gradus signi ejusdem mensis.

Simili etiam modo aliqui (veluti Clavius) locum Solis ex prioribus clavibus mensium colligunt: Sed tamen errabis nisi mensis antecedens eum cujus dies propones, habeat dies 30. Si autem pauciores habuerit tum totidem dies a radice proposita auferendi: cum plures, totidem adjungantur: alioquin totidem diebus aberrabitur. His itaque modis locus solis in Zodiaco reperietur, non quidem præcisè, sed platicè, ita ut parum a vero aberres, & notabilis error non committatur. Notandum tamen in annis bissextilibus ad locum solis inventum post festum S. Matthiæ unum gradum adjiciendum esse ut magis præcisè locus solis habeatur.

CAPVT XXIV.

De ætate Lunæ.

AEtas Lunæ nihil est aliud quàm tempus elapsum a novilunio seu conjunctione luminarium: itaque scire ætatem Lunæ est scire quotnam dies præterierint a Novilunio, eam autem sic agnosces. Tribus numeris scilicet Epactarum, Calendarum seu mensium a Martio, & dierum mensis in unam summam collectis, id quod ex additione provenit, quotus post Novilunium dies sit, seu ætatem Lunæ indicabit. Notandum tamen in novo Ca-

vo Ca-

vo Calendario epactas novas incipere a Januario & non a Martio ut in antiquo: & in inquirenda ætate Lunæ in Januario & Februario nullas Calendas esse adjungendas, sed tantum dies mensium illorum, & numerum Epactarum, cuncta in unam summam colligenda, & ejusmodi productum ætatem Lunæ significare.

CAPUT XXV.

De loco Lunæ in Zodiaco,

ÆTatem Lunæ duplica, productum divinde per 5. & ex divisione prodibunt signa secundum naturalem eorum seriem & successionem, & in residuo quintæ, partes quibus ultra signa integra, Luna distat a Sole: quo cognito facilè inde locum ejus in Zodiaco reperies, si modò primum cognoscas, in quo signo & gradu signi sol ipse vertetur. Hinc etiam colliges in primo aspectu quadrato Lunam abesse tribus signis in secundo id est in plenilunio 6, in tertio 9. Quodsi ætatem Lunæ multiplices per 13. & productum dividas per 30. indicabit Quotiens ipsa signa, residuum autem gradus signorum quibus Luna secundum signorum successionem a loco Novilunii præteriti abest.

Ex hac tabula cognoscitur in quo signo & gradu sit Luna, & quamdiu noctu lucet, & quem aspectum habeat dummodo scias ætatem Lunæ, & quis sit anni mensis & in horum communem angulum quæras.

Luna

Lun. æt.	Januar.	Febr.	Mart.	Aprilis.	Majus.	Junius.	Julius.	August.	Septem.	Octob.	Nov.	Decem.	Lun. æt.	Gradus.	Aspect.	Aspect.
1	Aq.	Pis.	Ar.	Tau.	Gem.	Can.	Leo,	Vir.	Lib.	Sc.	Sa	Cap.	0	42		
2	♒	♓	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	1	24	Sex	
3													2	30		
4	♓	♈	♉	♊	♋	♌								16	*	
5							♍	♎	♏	♐	♑	♒	3	18		
6													4	30		
7	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑			4	12		
8											♒	♓	5	24		
9	♉	♊	♋	♌	♍								6	30	qu.	
10						♎	♏	♐	♑	♒	♓	♈		16	□	☽
11	♊												7	8		
12		♋	♌	♍	♎	♏							8	30		
13							♐	♑	♒	♓	♈	♉	8 (3?)	12		
14	♋												9	24 34		
15		♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	♈	♉	♊	1	6		
16													11	18		
17	♌	♍											12	30	Pl.	
18			♎	♏	♐	♑	♒	♓	♈	♉	♊	♋	11 10	12 24	☍	☉
19	♍	♎											9	30		
20			♏	♐	♑	♒	♓	♈	♉	♊	♋	♌		6		
21													8	18		
22	♎	♏	♐	♑	♒								8	30		
23						♓	♈	♉	♊	♋	♌	♍	7 6	12 24	qu. □	☽
24	♏	♐	♑										5	30		
25				♒	♓	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎		6		
26													4	18		
27	♐	♑											4	30		
28			♒	♓	♈	♉	♊	♋	♎	♍	♎	♏	3 2	12 24	Sex *	
29													1	30		
30	♑	♒	♓	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	0 0	18 30	☌	●

Alii quærunt hoc modo, quot horis noctu lucens intellige horas Judaicas æquales. Accipe ætatem Lunæ illi adde 1. Summam per 4. multiplica, divide per 5. quotiens indicabit horas. Post plenilunium verò non lunæ ætas, sed complementum ejus ad 30. sumendum & horæ computandæ incipiendo ab ortu solis & versus mediam noctem procedendo.

Signum verò in quo Luna versatur, hoc modo investigandum. Accipe Lunæ ætatem, illamque multiplica per 41. & per 10. divide, quotiens numerum signorum dabit quibus Luna a Sole distat, hoc est tot signis, quot decades in summa prædicta inveniuntur, unitates verò residuæ gradus quot Luna in signo, post prædicta signa integrè absoluta confecit; qui tamen modus non omninò satisfacit.

Vel sic. Accipe annum Domini completum, id est elapsum, ex illo abjice millenarios & centenarios, ex reliquo aufer 14, quoties potes, residuum dabit aureum numerum anni præsentis, hunc numerum duc in 11. adde 30, & totum per 30. divide, residuum dabit epactam currentis anni, cujus usus incipit ab initio Martii, nam per Januarium & Februarium servit anni præteriti Epacta. Habitâ epactâ modo superius dicto Lunæ ætatem invenies. Inventam Lunæ ætatem divide per 5. & quotiens dabit quoties signis duobus Luna distet ab eo signo in quo tunc sol versatur, residuum quod mansit ultra quotientem, per 12. multiplicatum dat gradus qui sunt ultra signa. Rursus ætatem Lunæ crescentis, vel complementum decrescentis ad 30. multiplica per 4. productum divide per 5. quotiens exhibebit quot horis noctu Luna. Ut Novilunium invenias, adde numerum mensis quotus est a Martio, conjungendo illum cum Epacta, summam aufer de 30. residuum dabit mensis diem, in quem cadit novilunium: aut si fuerit major summa quàm 30, aufer illam a 60.

a 60. quodsi residuo 15. addideris, habebis plenilunium. Ut Eclipsim invenias sic age. anno Christi 1628. completo caput draconis erat in fine cancri. Promovetur verò id caput retrò numerando signa, intra 14. annos per 9. signa, unde in aurea regula pone 14. dant 9. quot dabunt anni post 1628, ad currentem, & tot a fine cancri retrò numera signa, & si in eo signo fuerit novilunium vel plenilunium expectanda erit Eclipsis si tamen luna non procul fuerit a capite Draconis, vel a cauda quæ directè capiti opponitur, Et quid si luna a capite draconis non distet gradibus 15. futura est Eclipsis. Gradus istos in hunc modum invenies. Suppone solem esse in capite vel cauda draconis, & ab illo ad Lunam gradus quære, quò autem luna propinquior fuerit capiti draconis, eò futura major Eclipsis.

CAPUT XXVI.

Quando & quamdiu Luna splendeat.

ÆTatem Lunæ, si major non sit quàm 15. vel ejus complementum ad 30. si major sit quam 15. multiplica per 4. productum divide per 5. Quotiens significabit horas, residuum autem quintas partes horæ quibus noctu Luna lucet. quæ quidem horæ post occasum solis numerandæ sunt ante plenilunium, post plenilunum autem ante Solis exortum, idq; horæ sunt non Astronomicæ & vulgares, sed planetariæ. Nam Luna crescens fulget vespere, decrescens autem manè.

Quodsi ætatem Lunæ si major non sit quàm 15. vel si major, complementum ejus ad 30. multiplices per 5. & productum dividas per 6. significabit quotiens iterum ut prius horas inæquales, residuum autem quintas earundem horarum quibus Luna lucet. Atque hic modus melior est priore, cùm etiam includat motum Lunæ quo interim ab occasu in ortum proprio motu progressa est. Prior verò eundem excludit, & ita

ita agit de Luna acsi interim solo primo motu lata esset ab ortu in occasum. Sed ut a labore lectorem liberemus tabulam temporis quo noctu quàvis die luna splendet, subjungemus

Ætas Lunæ.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
Horæ quibus lucet	0	2	3	4	4	5	6	7	8	8	9	10	11	12	11
Minuta quibus lucet	48	36	24	42	0	48	36	24	12	0	48	36	24	12	0
Ætas Lunæ	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30
Horæ Lucis	10	9	8	8	7	6	5	4	4	3	2	1	0	0	0
Minuta Lucis	12	24	36	48	0	12	24	36	48	0	12	24	36	48	0



CAPUT XXVII.

Horam noctu ex radiis Lunæ cognoscere,

OBserva horam quam Lunæ radius in aliquo sciatherio Solari a signis Zodiaci non dependente per umbram suam indicet, deinde multiplica ætatem Lunæ per 12. gradus & 11. minuta productum divide per 25. quotientem adde horis in sciatherico observatis, & habebis horam quæsitam.

Vel faciliùs hàc ratione, multiplica 731. per ætatem lunæ, productum divide per 900. quotiens ostendet horas addendas illis quas umbra Lunæ in solari horologio demonstrat, residuum verò minutias horarum indicabit. Idem etiam ex tabella ad finem præcedentis capitis posita cognosces, habitâ enim ætate Lunæ quam superior linea continet, medius numerus illi subscriptus horas quibus noctu lucet indicabit, ultimus verò minuta horarum quæ ante plenilunium horæ in solari invētæ addenda, post plenilunium demenda, adjectis si opus est horæ inventæ, 12. horis, ut possit fieri subtractio. Notandum tamen has regulas non esse præcisè intelligendas, quia pro varia declinatione Lunæ splendor ejus variè ostendit. Ex dictis autem colligitur in omni

✠ *Tabula pro ele v.g. 50. in qua ætate Lunæ, acceptâ in prima columna & in prima linea quantitate noctis, invenitur in communi angulo tempus in horis & minutis quo noctu lucet Luna in illo horizonte. Post Novil. vespere post Plenil. ante Solis ortum.*

☽	Noct. Dies.	h. 8 q 0	h. 9 1 0	h. 10 q. 0	h. 11 q. 0	h. 12 q. 0	h. 13 q. 0	h. 14 q. 0	h. 15 q. 0	h. 16 q. 0	Quantitas.
	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	
	2	8 2	8 0	7 3	7 1	6 3	6 2	6 0	5 2	5 0	
	3	9 0	8 3	8 1	8	7 2	7 1	6 3	6 2	6 0	
Noctu occidit.	4	9 2	9 1	9 0	8 3	8 2	8 0	7 3	7 2	7 1	
	5	10 0	9 3	9 3	9 2	9 1	9 0	8 3	8	8 1	
	6	10 2	10 2	10 1	10 1	10 0	9 3	9 3	9 2	9 1	
	7	11	11	11	10 3	10 3	0 3	10 2	10 2	10 2	
	8	11 3	11 3	11 3	11 2	11 2	11 2	11 2	11 2	11 2	
	9	12 1	12 1	12 2	12 2	12 2	12 2	12 2	12 2	12 2	
	10	12 3	12 3	1	1	1 1	1 1	1 2	1 2	1 2	
	11	1 1	1 2	1 3	1 3	2	2 1	2 2	2 2	2 3	
	12	1 3	2	2 1	2 3	2 3	3	3 1	3 2	3 3	
	13	2 2	2 3	3	3	3 2	4	4 1	4 2	4 3	
	14	2 3	3 1	3 3	4	4 2	4 3	5	5 2	5 3	
	15	3 2	3 3	4 1	4 3	5 1	5 2	6	6 2	7	
	16	4	5 2	4	5 2	6	6 2	7	7 2	8	
*	17	8 2	8	7 3	7 1	6 3	6 2	6 0	5 3	3	
	18	9	8 3	8 1	8	7 3	7 1	7	6 2	6	
	19	9 2	9 1	9	8 3	8 2	8	7 3	7 2	7 1	
Noctu oritur.	20	10	10	9 3	9 1	9	8 3	8 3	8 2	8 1	
	21	10 3	10 2	10 1	10 1	10	9 3	9 2	9 2	9 1	
	22	11 1	11	11	11	10 3	10 3	10 2	10 2	10 2	
	23	11 3	11 3	1 3	11 2	11 2	11 2	11 2	11 2	11 3	
	24	12 1	12 1	12 1	12 2	12 2	12 2	12 2	12 2	12 2	
	25	12 3	1	1	1	1 1	1 1	1 2	1 2	1 2	
	26	1 2	1 1	1 3	1 3	2	2 1	2 1	2 2	2 3	
	27	1 3	2	2 1	2 2	2 3	3	3 1	3 2	3 3	
	28	2 2	2 3	3	3	3 2	4	4 1	4 2	4 3	
	29	3 2	3 1	3 3	4	4 2	4 3	5 1	5 2	6	
	30	3 2	4	4 1	4 3	5 1	5 2	6	6 2	7	

Tabula

Tabula exactior, quanto tempore Luna luceat.

Die à Novilunio.		Hor.	Min.	Sec.	
1	Lucet Vespere.	0	57	36	Postea non lucet.
2		1	55	12	
3		2	53	0	
4		3	52	48	
5		4	50	44	
6		5	48	0	
7		6	45	46	
8		7	43	12	
9		8	40	48	
10		9	38	24	
11		10	36	6	
12		11	33	36	
13		12	31	48	
14		13	26	24	
15		14	24	0	
16	Non lucet vespere.	1	55	12	Reliquâ nocte lucet.
17		2	52	48	
18		3	50	44	
19		4	48	0	
20		5	45	36	
21		6	43	12	
22		7	40	48	
23		8	38	24	
24		9	35	0	
25		10	33	36	
26		11	31	12	
27		12	28	48	
28		13	26	24	
29		14	24	0	

plenilunio Lunam horis 12. lucere, id est tota nocte quantacunque illa sit in omni quadratura sex horis, id est medio noctis: cum Luna quinta est aut 25. per 4. horas lucet: cum est 4. aut 26. per tres horas semper intelligo plenisarias. *Utrùm* autem luna *crescat* aut *decrescat* sic cognosces. Crescens sequitur solem & post occasum ejus apparet supra horizontem, & pars illuminata vergit ad occidentem: Decrescens autem præcedit Solem supra qua horizontem matutino tempore apparet, & pars ejus adusta seu illuminata orientem atque solem respicit seqventem.

Horam noctis ex Luna etiam sic, supposito ut prius Solari deprehendes. Si crescat Luna ætatem ejus per 4. multiplica: Si decrescat, residuum ad 30. productum per 5. partire. & quot fuerint quinarii per tot horas lucebit, quæ addendæ crescente Lunâ horæ in solari repertæ, decrescente demendæ, & quot residua, tot puncta; attribuuntur autem cuilibet signo decem puncta, quorum 5. unam horam constituant in lunari computatione, & punctum quodlibet tres signi gradus continet.

CAPUT XXVIII.

De Saltu Lunæ.

SAltus Lunæ est subtractio unius diei a Lunatione Julii in ultimo cycli decemnovennalis nisi enim fieret talis subtractio post unum cyclum peractum Luna diceretur prima quæ esset secunda. Similiter post secundum cyclum diceretur prima quæ esset tertia, & post quindecim cyclos diceretur esse prima ubi esset 15. Luna &c. Ecclesia enim, supponit 19. annos solares omninò respondere adæquate Lunaribus totidem annis. Sunt autem in 19. annis 6936. dies & 18. horæ, quæ eadem quantitas etiam in totidem annis lunatibus reperitur. Verùm Ecclesia confusionis vitandæ gratiâ, menses, annos, & cyclos secundum integros dies computans non expectat 18. horarum

te rminum

terminum in fine cycii, sed omissis illis 18. horis, in sequentis diei principio cyclum inchoantis computat lunam primam, idque decimo Calendas Februarii, cum in rei veritate deberemus expectare finem 18. horarum, quæ transiliuntur, ne verò sequatur aliquod inconveniens in Februario quarti bissexti secundi, tertii & quarti cycli diem unum intercalamus, & sic deinceps in singulis mensibus bissextis & cyclis. Nam post duos cyclos supersunt horæ 36. quæ constituunt diem unum & medium; illum ergo diem in secundo cyclo intercalamus. medium autem diem ad tertiam cyclum reservamus, cujus 18. horæ cum præcedentium cyclorum sex horis diem unam constituant, illum intercalamus, in quarto cyclo nihil intercalandum manet, atque idem fit in singulis quaternis cyclis.

CAPUT XXIX.

De præcipuis festis & oblationibus veteris testamenti.

FEstos dies Judæi Sabbata nominârunt, ut Levit. 19. *Sabbata mea custodite.* Hæc verò a vespera ad vesperam celebrantur, sic enim præcipitur Levit. 23. *A vespera ad vesperam celebrabitis Sabbata mea.* Celebraruut autem non solùm ab opere cessando, sed etiam victimas offerendo, orando, & quandoque jejunando. Ex his festis diebus alii a Deo, alii ab hominibus instituti sunt, A Deo Sabbatum, Neomenia, Pascha, Pentecoste, festum clangoris, festum Propitiationis, & Scenopegia, quibus adjungitur annus septimus, & quinquagesimus. Quinam ab hominibus instituti sunt seq. capite dicetur. 1. *Sabbatum* erat septima dies, in quo ab omni opere servili abstinebant, sicut & Deus in ea die quievit ab omni opere quod patrârat; ac proinde dies illa Sabbatum, seu requies appellata fuit: immolabantur in eo duo Agni, & cessabat omne opus.

2. *Neomenia*, hoc est Novilunium celebrabatur in principio

ſingulorum menſium, immolabantur in eo duo vituli, aries unus, agni ſeptem, & hircus cum libaminibus.

3. *Phaſe*, hoc eſt tranſitus, celebrabatur 14. die menſis primi (qui vocatur Niſan & reſpondet Martio) idque in memoriam tranſitus maris rubri, quod feſtum dicitur Paſcha, hoc eſt immolatio, & illud ſequebantur ſeptem dies azymorum: in Paſchate per ſingulos dies comedebatur Agnus Paſchalis, & ſingulis diebus azimorum offerebantur hoſtiæ quæ in Neomænia offerri ſolebant; quarum prima & ultima ſolennis erat.

4. *Pentecoſte*, hoc eſt Quinquageſima exactis a Phaſe ſeptem hebdomadis celebrabatur ſexto die tertij menſis, qui vocatur Sivan reſpondens Majo, idque in memoriam datæ legis quæ die quinquageſimo ab exitu Ægyptiaco data fuit Moyſi, quod feſtum implebat dies 7. cum iisdem immolationibus quæ fiebant in Phaſe 5. *Feſtum clangoris ſeu tubarum* fiebat primâ die menſis ſeptimi, qui vocatur Tyſri reſpondens ſeptembri: in qua buccinabatur cornibus arietum, quia eâ die liberatus fuerat Iſaac, & pro eo in ſacrificium ſubſtitutus aries; immolabantur Vitulus, Aries, agni ſeptem. & hircus cum oblationibus.

6. Feſtum *Propitiationis* celebrabatur 10. die menſis prædicti. Quia tunc rediens Moyſes ad populum retulit Deum placatum eſſe ſuper offenſæ vituli aurei: in hoc feſto jejunabant & ſanguine vitulæ rufæ expiabant tabernaculum, & immolabantur ea quæ in feſto tubarum.

7. *Scenopægia* ſcilicet tabernaculorum conſtructio. 15. die dicti menſis incipiebat, & inde per 7. dies habitabant in tabernaculis in memoriam 40. annorum in deſerto peractorum, & octavo die fiebat collatio in pauperes cum iisdem immolationibus atque in Phaſe, & Sabbatum quod intra illos dies veniebat magnum Sabbatum appellabatur. Ex dictis autem feſtis

stis solùm tria erant. ad quæ singulos viros quotannis accedere oportuit, videlicet, Pascha, Pentecoste, Tabernacula. Et reliqua quidem festa ubique celebrari poterant, Pascha autem nonnisi in urbe regni Metropoli. Nam Deut. 16. dicitur. *Non poteris immolare Phase in quolibet urbium tuarum, quas Dominus daturus est tibi, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus ut habitet nomen ejus ibi.* Itaque in Silo primum, deinde Jerosolymis celebrari est solitum. Licet porrò Deus per Moysen ordinaverit ut celebraretur semper 14. Mensis Nisan, sive Martii, postea tamen lege Synedrii cautum fuit, ut traditur ab Hebræis in libro Seder damne, celebraretur die septimanæ secundo, quarto, & sexto, si in eos dies incidisset; sed differetur in proximum diem, quemadmodum factum esse ajunt eo anno quo Christus passus est, incidebat enim in sextum sabbatum qui nobis est feria sexta. Denique notandum diem qui sequebatur sabbatum, quâ edebatur Agnus Paschalis, appellatam fuisse Pascha & diem Azymorum, a qua tota etiam septimana Azymorum nomen accipiebat.

Porro ut id incidenter exponamus, libamen in ceremoniis Hebraicis constabat ex simila oleo mixta & vino, quæ cum hostia simul adolebantur. Juge Sacrificium quotidie fiebat sumptu publico; nam manè & in vespera offerebatur Agnus.

Præter hæc septem festa legalia, quæ singulis annis celebrabantur, fuerunt & duæ legales observationes annorum septimi & quinquagesimi qui sunt Sabbatitii & quasi toti festi. Septimo anno remissio terræ a cultura concedebatur, ac remissio debiti. De primo sic præcepit Deus Exod. 23. *Sex annis seminabis terram tuam & congregabis fruges ejus, anno autem septimo dimittes eam & requiescere facies. ut comedant pauperes populi tui, & quidquid reliquum fuerit edent bestiæ agri, ita facies in vinea & oli-*

& oliveto tuo. De hoc rursum Deut. 15. dicitur. *Septimo anno facies remissionem quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo, ac fratre suo, repetere non poterit; a peregrino & advena exiges, civem & propinquum repetendi non habebis potestatem, & omnino indigens & mendicus non erit inter vos.* ac paulò post *Cum tibi venditus fuerit Hebræus aut Hebræa, & sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum, & quem libertate donaveris nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus, & de torculari tuo.*

Quinquagesimo anno remissio dabatur servis a ministerio servili, & ager alienatus redibat ad veterem possessorem, ut habetur Levit. 25. & sic præcipiebatur. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quæ simul faciunt annos 49. & clanges buccinâ anno septimo, decimâ die mensis, propitiationis tempore, in universa terra vestra, sanctificabisque annum vigesimum & vocabis Remissionem cunctis habitatoribus terræ, ipse est enim Jubilæus, revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque redıet ad familiam pristinam, quia Jubilæus est, & quinquagesimus annus.*

CAPVT XXX.

De nonnullis aliis festis ab hominibus institutis.

SAbbata seu festi dies apud Hebræos ab hominibus instituti sunt, ut Encænia, festum Jephte, Judith, Hester & aliqui alii.

Encænia sunt sollennitates in dedicationibus Templi adhibitæ. Quatuor autem templi Jerosolimitani dedicationes factæ temporibus diversis. *Prima* fuit Salomonis mense septimo qui dicitur Tysri, respondens septembri 3. Reg. 3. & 2. Paral. 7. *Secunda* fuit tempore Zorobabelis instituta ab Hebræis cum rediissent ex servitute Babilonica; hæc celebrabatur die 23. duodecimi mensis qui vocatur Adar, respondens Februario, de qua legitur Esdræ 6. *Tertia* dedicatio non templi fuit

fuit sed altaris, cùm Judas Machabæus altare holocausti restauravit, quod Antiochus Rex profanaverat. Hæc dedicatio celebrabatur 20. die, & septem sequentibus mensis noni, qui dicitur Casleu, respondens Novembri de qua legitur 1. Machab. 1. De ea etiam videtur intelligi illud Joan. *Et facta sunt encænia in Jerosolymis, & hyems erat, & ambulabat Jesus &c.* Quarta dedicatio fuit templi ab Herode constructi quæ in diem Natalis ejus incidit, & magnâ pompâ celebrata est, ut scribit Joseph. lib. 15.

Festum Jephte in exitu anni fuit, in quo Jephte Filiam Judicis Israel 4. diebus plangebant, eò quòd virgo a Patre Ammonitarum victore immolata esset. De hoc legitur Judic.7. *Exinde mos increvit in Israel & consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filii Israel, & plangant Filiam Jephte Galaaditæ quatuor diebus.*

Festum Judith pro Victoria quæ de Holoferne Regis Assyriorum Duce per Judith viduam Hebræam relata est, celebratur die 25. mensis noni, qui dicitur Casleu, respondens Novembri. De eo Judith 16. sic legitur, Dies victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero Sanctorum dierum accipitur & colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.

Festum Esther quod dicitur Mardochæus, celebrabatur 13. die mensis duodecimi, qui dicitur Adar, respondens Februario, idque in memoriam victoriæ Esther adversus Aman, qui Judæos in crucem agere constituerat de quo legitur Esther cap. 9. & 2. Mach. ult.

Honorant etiam diem quo victoria de Nicanore Duce Demetrii Regis Syriæ parta est, de quo Josephus lib. 12. Hæc victoria contigit 14. die mensis Adar, quam celebrant quotannis.

Honorant item diem quo post Babilonicum exilium

ignis de cælo est missus, quem diem Josephus, festum Luminum, appellat. Celebrabatur 20. die noni mensis, qui est Casleu, respondens Novembri.

Habuerunt etiam multa jejunia, in quibus numeratur illud quod sit tertia die mensis, Tysri, id est septembris, propter mortem Godoliæ de quo 4. Reg. 25. Sed ea prosequi non est præsentis instituti.

CAPUT XXXI.

De festis novi testamenti.

QUoniam cum morte Christi Servatoris nostri omnia Legalia extincta sunt propterea nos Christiani omissis legis veteris alia eorum loco celebramus. Pro Sabbato quietis veteris diem Dominicam observamus. Pro Phase, Pascha resurrectionis in memoriam etiam transitùs, eò quòd Christus per sanguinem suum tanquam per mare rubrum nos deduxit e statu servitutis peccati in statum libertatis Filiorum Dei. Pro Pentecoste vetere celebramus novum qua Spiritus S. qui legem non tabulis lapideis, sed cordibus imprimere solet, est missus. Pro Neomænia celebramus festum B. Virginis quæ velut Luna inter Stellas, ita inter Sanctos eminet. Pro festo Clangoris & Isaac liberati, celebramus Martyrum victorias. Pro festo Propitiationis sacram habemus Confessorum memoriam, qui precibus suis ac meritis Deum nobis reddunt propitium. Pro scenopægia demum, templorum dedicationem sacram habemus. Quæ autem nostra sint libamina & Sacrificia constat omnibus.

CAPUT XXXII.

De Distinctione ac significatione temporum.

TEmpus anni totius videtur ab Ecclesia distingui in tres partes, videlicet in tempus peregrinationis, repræsentationis seu

distinctionis ætatum & in tempus expectationis. Tempus *peregrinationis* potest esse duplex vitæ scilicet activæ & contemplativæ. Hoc agimus in eo intervallo quod est inter Epiphaniam & Septuagesimam, in quo leguntur Moralia in divino officio. Illud, a Pentecoste ad Adventum, quo tempore historiæ Regum, & prophetarum libri leguntur. Tempus repræsentationis agimus a Septuagesima ad Pascha. Nam in Dominica Septuagesimæ repræsentatur exordium mundi & primæ ætatis ab Adamo. In sexagesima initium secundæ ætatis a Noe. In quinquagesima initium tertiæ ætatis ab Abrahamo. In quadragesima initium quartæ ætatis a Davide. In Dominica Passionis initium sextæ ætatis a Christo Salvatore. In Paschate ultima ætas repræsentatur quæ pertinet ad glorificationem & in ejus octava universalis resurrectio & vita æterna. Tempus expectationis notatur in Adtu & potest pro numero quatuor Dominicarum quatruplex Adventus intelligi, scilicet, Ad homines adventus in carne, in homines per gratiam, contra homines in morte quâ punit peccatum originale, & supra homines in extremo judicio.

CAPVT XXXIII.

De quorundam festorum Congruentia.

CUr uno potiùs tempore quam alio festa quædam celebrentur. Præter divinam voluntatem directione spiritus S. ab Ecclesia nobis propositam, etiam non desunt congruentiæ. Atque in primis congruum erat & valde conveniens ut Præcursor Domini S. Joannes Baptista post solstitium æstivum nasceretur, Christus verò post hyemale, quia sicut dies hìc incipiunt crescere, ibi decrescere, ita Christum oportebat crescere, Joannem verò minui, ut ipsemet de se loquitur. Item legem novam quam Christus attulit oportebat crescere: antiquam verò per Joannem significatam, diminui. Decuit etiam Pa-

ſcha celebrari quando duo mundi luminaria præcipua ſunt in ſtatu dignisſimo, ſol ſcilicet in puncto æquinoctii verni, & Luna in oppoſito ſuo plenilunio. Item ſicut tempore æquinoctii mundus conditus eſt; ita & per Chriſti paſſionem tempore ſimili reparatus. Et ſicut tum omnia florere & reviviſcere incipiunt, ita mundus per paſſionem Chriſti quodammodo reſuſcitatus fuit a morte ſpirituali & florere incepit. Feſtum etiam Pentecoſtes decuit poſt ſepties repetitam ſeptimanam celebrari propter ſeptem dona Spiritus S. Decuit etiam B. Virginis in cœlos aſſumptæ circa illud tempus feſtum fieri quo ſignum Virginis in cœlo coronatur Sole. S. Matthias congruenter diem intercalarem ſortitus eſt, quia ipſe pro Juda fuit intercalatus. S. Stephano propter Martyrii primatum locus datus eſt proximus Chriſto, qui quoniam voluit ad ſe parvulos venire illi Innocentes ab ejus natali non abſunt procul. Quamvis ordinis horum trium feſtorum ſit & alia ratio; quia ſcilicet tria ſunt Martyrii genera, aliud eſt opere & voluntate quod eſt præſtantiſſimum: aliud voluntate ſolùm & non opere, quod eſt proximum priori, aliud denique quod opere tantùm & non voluntate ſaltem actuali, atque hoc poſtremum locum occupat. Cùm ergo S. Stephanus primum ſubjerit, primum etiam locum meruit. Secundum S. Joannes qui ſecundum Martyrii genus ſuſcepit, tertium Innocentibus attribuitur. Sed hæc ſuffecerit attigiſſe cum ſpectent magis ad Eccleſiaſtem quàm Calendariſtam.

CAPUT XXXIV.

Quænam feſta in tota Eccleſia celebrentur,

FEſtum Natalis Chriſti, S. Stephani, S. Joannis Evang. in multis etiam locis SS. Innocentium. Item feſtum Circumciſionis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ cum duobus ſequentibus diebus, feſtum Aſcenſionis Chriſti, Pentecoſtes per triduum, Corporis

Corporis Christi, Item festum Annunciationis, Purificationis Virginis, Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ. Duodecem Apostolorum, S. Laurentii. Dedicationis S. Michaelis & Omnium Sanctorum. In plerisque etiam locis S. Martini Episcopi, itemque S. Nicolai. Catharinæ Virginis Mart. & S. Magdalenæ. Præter hæc festa in variis diæcesibus varia celebrantur, prout varii sunt earum Patroni, vâriæque Sanctorum reliquiæ, & Episcoporum sanctiones populique devotiones ac consuetudines, quæ omnia ordinavit Urbanus octavus in Bulla quæ quibusdam Breviariis præfigitur.

CAPUT XXXV.

Quinam sint dies jejuniorem & abstinentiæ.

DIfferentia inter Jejunium & abstinentiam illa est. Quia in jejunii die semel tantùm comeditur, in abstinentiæ verò liceat bis comedere. Abstinentiæ dies sunt tota anno Feria Sexta & Sabbatum, nisi Domini Natalis in illos inciderit, tunc dispensatur cum illis, qui ex propria regula non prohibentur esu carnium. Abstinentiæ etiam sunt omnes Dominicæ Quadragesimales, diebus Rogationum plerique abstinent a carnibus, item in aliquibus SS. profestis. Dies autem jejuniorum sunt omnes feriæ Quadragesimales incipiendo a die Cinerum usque ad Pascha, idem tres dies Quatuor temporum, Præterea vigiliæ Nativitatis Christi, Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, omnium Apostolorum, præterquam Philippi & Jacobi & S. Joannis Evang. Item vigiliæ S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii & Omnium Sanctorum.

CAPUT XXXVI.

Quibus diebus nuptiæ prohibeantur.

A Dominica prima Adventus usque ad Epiphaniam, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusivè solenni-

ſolennitates nuptiarum prohibentur à Conſilio Tridentino. Olim etiam prohibebantur a diebus Rogationum usq; ad Octavam diem Pentecoſtes quæ conſuetudo etiamnum in quibusdam locis ſervatur.

TRACTATUS TERTIUS.

De Geometrica ſupputatione temporum ac feſtorum mobilium quæ fit in articulis digitorum.

HÆc ratio ſupputandi feſta mobilia eſt facilis & jucunda, & ſemel animo percepta retinetur memoriâ, inde eſt quod multi ea contenti cæteros computandi modos negligunt. De ea multa præclarè ſcripſit Clavius lib. 3. contra Mæſtilinum, ſed nos neceſſaria duntaxat omni quâ poterimus perſpicuitate ac brevitate proponemus.

CAPUT I.

In quibus digitis & digitorum articulis numerandum ſit,

SCiendum itaque totam hanc computationnm fieri in digitis ſiniſtræ manus pollice plerumqne omiſſo, licet etiam is aliquando adhibeatur, accipiuntur autem in quovis digito ſeptem articuli, quatuor interiores & tres exteriores. Primus ex interioribus eſt radix cujusque digiti, ſecundus media junctura, tertius tertia, quartus eſt extremitas cujusvis digiti, quintus articulus qui eſt primus in exterioribus, eſt unguis cujusvis digiti, ſextus exterior, pars ſupremæ juncturæ digitorum, ſeptimus exterior pars mediæ juncturæ. Poſſunt verò & ſolent prædicti articuli duobus modis numerari, recta & transverſùm. Rectà numerantur cùm a radice cujusvis digiti, per alios articulos ejusdem digiti ordine pergimus, eo modo quo

ſunt

ſunt proximè enumerati. Transverſùm autem, cum ub uno articulo unius digiti ad ſimiles articulos aliorum digitorum pergimus, ut cum a radice indicis ad radicem medii, deinde ad radicem annularis, tum ad radicem auricularis progredimur; poſtea ad ſecundum articulum indicis venimus, & per ſecundas juncturas omnium digitorum procedimus, tum ad tertias & quartas ſuo ordine. Uſurpantur autem ex his articulis modò plures modò pauciores, idque vel ordine certo vel transverſo prout res poſtulaverit.

CAPUT II.

De Aureo Numero.

CYclus decemnovennalis aurei Numeri eſt revolutio annorum 19. ab 1. ad 19. progredientium, qua revolutione peracta iterum ad 1. reditur. Continet autem hic cyclus annos 19. quia poſt tot annos ſolares Novilunia ad eosdem dies redeunt quanquam non ad easdem omnino horas ſed aliquanto citiùs, ita ut in 76. annis, hoc eſt in quatuor cyclis novennalibus easdem ſedes Luna anticipet horis 5. min. 50. ſec. 7. tertiis 40. ac tandem in annis 312. & dimidio, anticipent fere toto uno die. Habet autem hic Cyclus initium in Januario, ſicut & Cyclus Solaris, & Cyclus indictionis. Ut autem reperiatur in manu ſic operari debes in indice, medio, & auriculari; accipe quinque articulos, & in auriculari quatuor, atque in eis ordine recto numeros 19. diſponendo unitatem in radice indicis, biſarium in ſecundo articulo ejusdem indicis, & ſic omnes articulos percurre ordine, ita ut ſenarius veniat in radicem medii, & in radicem annularis 11, in radicem auricularis 16. & in quartum ejusdem 19. his numeris ita diſpoſitis. Etiam centenarios annorum in eisdem articulis diſpone ſed ordine transverſo, idque in hunc modum, ut cifra ponatur in radice indicis, 100. in radice medii, 200. in radice annu-

annularis, 300. in radice auricularis. In secundo articulo indicis 400. & sic reliqua suo ordine donec ad 19. articulum veniatur, a quo rursum ad rubrum indicis redeundum est, & ab eo ut prius progrediendum.

Ne tamen sit opus toties percurrere 19. articulos, hoc utaris compendio. Ex numero annorum centesimorum qui superant 1900. auferatur quoties potest 20, nam ubi centesimus hujus summæ sedem habebit ibi quoque sedes erit centesimi propositi. Sit exemplo. Quæratur sedes anni 4900, aufero ex his 49. bis 20, residuum quod est 9. augeo duplici unitate, eo fit 11. & quia undecimus centesimus sedem habet in tertio articulo auricularis, collocabitur ibidem annus 4900. Ut etiam in centesimis paucioribus quam 1900. sis expeditior adde centesimis 1. Numerus enim conflatus significabit articulum, qui est sedes anni propositi si modo eum ordine transverso numeres ut in 1589, adde ad 15. unum habebis 16. ergo in decimo sexto articulo, hoc est in quarto minimi erit sedes.

His intellectis & in hunc modum factis aureum numerum anni reperies. Nam vel annus propositus est centesimus, vel non. Si est, vide quem aureum numerum in eum collocaveris is enim erit illo anno usui. Si non est, investigo aureum numerum centesimi qui proximè antecedit, deinde quoniam quolibet anno aureus numerus augetur unitate, adjiciendæ sunt tot unitates aureo numero illius centesimi quotus post illum centesimum annus est propositus, conficietur enim hâc ratione aureus numerus anni propositi. Quodsi numerus compositus superaret 19. Rejicienda essent 19. quoties possunt, & residuus numerus aureum numerum ostendet. Si autem remanserit vel 0, ipsa 19. aureus numerus erunt. Ut autem faciliùs ex magno numero 19. auferas, aufer 20. &

pro-

pro qualibet abjectione singulas unitates reposce quas cum 19. abjecisti, has unitates conjunge cum residuo si quod fuit, & cum aureo numero centesimi nisi 19. fuerit, & habebis aureum uumerum anni propositi, abjectis tamen prius 19. si abiici possunt ex ultima compositione. Quod si quis in articulis digitorum pergere, & aureum numerum anni propositi sine abjectione 19. quærere vellet, tunc exclusivè ab articulo illius centesimi proximò minoris incipiat numerationem ab unitate & rectâ pergatur per 2.3. & reliquos numeros ordine narurali se consequentes usque ad annum propositum. Nam in quemcunque articulum inciderit annus propositus, in eo aureum numerum ejusdem anni propositi inveniet.

CAPUT III.

Quomodo reperiantur Epactæ.

EPacta est numerus dierum qui post ultimam Lunationem anni præteriti supererat usque ad novum annum & minimus quidem eorum numerorum est 11. tot enim diebus annus commuuis solaris, qui est 365. dierum annum communem Lunarem, qui est dierum 354. superat. Cæteri autem numeri Epactales per additionem 11. ad præcedentem generantur abjectis semper 30. quoties numerus eousque excrescit. Ut autem hunc numerum reperias sic operare, in pollice sinistræ manus dispone aureum numerum per tres ejus articulos capto initio ab ejus extremitate, a qua ad medium, hinc ad infimum articulum veniendum est. Postea rursus ad initium veniendum & eodem ordine redeundum est. Tum aureo numero in pollicis extremitate addantur 10, in medio 20, in infimo 0. & habebis Epacta antiqui Calendarii. Pro novo autem, in secundo articulo decem adjicientur, & in tertio decem auferentur additis 30. Si alioquin 10. rejicere non possis. Primus autem non mutatur; residuum erit Epacta illius anni cujus est

aureus numerus atque hæc regula valet usque ad annum 1700.

Sciendum tamen eſt Epactam 25. ſumendam eſſe diverſo colore notatam quando procreatur ab aureo numero majore quàm 11. Item Epactam 19. diverſo quoque colore ultimo diei decembris adſcriptam eſſe quoque in uſu, quando ab aureo numero 19. gignitur ut contigit anno 1595. & nunquam amplius niſi poſt recurſum 30. linearum Epactalium tabulæ expanſæ quæ habetur infra tr. 4.

CAPUT IV.

Quæ ſunt Epactæ dierum ſingulorum menſis.

DIſpone 12. Menſes per 12. articulos digitorum quatuor ſiniſtræ manus idque transverſim, incipiendo a Januario & radice indicis progrediendo per alias radices aliorum digitorum, & ab his ad alios articulos veniendo. Hoc pacto cognoſces Epactam menſis cujuslibet primæ diei. Duodecimo menſi videlicit Decembri qui erit in tertio articulo auricularis tribue numerum 20. poſtea retrorſum aſcende, & proximo videlicet Novembri in tertio annulari rribue 21. & ſic cæteris ſemper numerum unitate majorem Auguſto tamen in octavo articulo duas Epactas tribues, videlicet 25. & 24. Februario qui eſt in ſecundo árticulo 29. & Januario in primo 30, & ſic Epactam repereris. Semper enim ille numerus qui in articulum menſis cadit primam Epactam ejusdem menſis ſignificabit. Nota tamen in omnibus menſibus Februario excepto, poni ultimo die eandem Epactam quæ in primo & in Auguſto qui duas habet, ſolum unam, videlicet 24. poni. 2. Nota in ſex menſibus has duas epactas 24. & 25. poni, ex quibus quatuor primi ſunt pares, 2. 4. 6. 8. ultimi duo impares 9. 11. Hoc eſt Februarium, Aprilem, Junium, Auguſtum, Septembrem Novembrem. Quos etiam ſic reperies. Deprimas Indicem & an-

nularem digitum, reliquos erige. & incipe numerare menses per 5. digitos depressos capto initio à pollice & Martio, qui enim cadent in digitos depressos pæter Augustum habent duas Epactas eidem diei adscriptas, & quidem diversi coloris.

CAPUT V.

Quomodo per Epactam inveniatur Novilunium?

COgnitis Epactis primi diei cujuslibet mensis sic Novilunium colliges aufer Epactam currentem ab Epacta primi diei mensis, si potes, si non, aufer à 30. & residuo Epactam primi diei adjicies. Numerus enim reliquus vel aggregatus additâ priùs unitate, dabit diem Novilunij. In mensibus tamen in quibus Epacta 24. & 25. eidem diei adscriptæ sunt, inter Epactam currentem, & Epactam primi diei nihil addendum est v. g. Si velis scire quando anno 1589. contigit Novilunium in Martio. Subtrahe 13. Epactam currentem à 30. quæ primo diei Martii tribuitur, & remanent 17. quibus si unitatem addas, colliges 18. Martii fieri Novilunium, & eidem diei Epactam 13. esse adscriptam. Quod ipsum.

Alio modo per digitos sic cognosces. Ab Epacta anni currentis numera rectâ per naturalem seriem numerorum usque ad Epactam Calendarum mensis præsentis. Numerus enim articulorum percursorum numerum diei Novilunii significabit, hoc est diem cui in Calendario Epacta currens est adscripta. Observabis tamen aliqua. 1. Cum Epacta currens est major quam ea quæ primo diei mensis tribuitur, à currente usque ad 3. perges, deinde ab unitate per naturalem ordinem numerorum usque ad Epactam primi diei. 2. Ut sex mensibus scilicet Februario, Aprili, Junio, Augusto, Septembri, Novembri. Eidem articulo has duas Epactas 24. & 25. tribuas, & in sequente articulo has 25. & 26. diverso colore notatas. 3. Ut enim Epacta 19. & aureus num. 19. concurrunt, tunc Novi-

lunia fieri ultimo die Decembris eò quòd alioquin in primum diem Jan. caderet. Pro hoc ergo modo exemplum ejusmodi cape. Incipe numerationem à radice indicis & à 13. quæ est Epacta hujus anni 89. & perge rectâ per digitos numerare usque ad 30. quæ est Epacta primæ diei Martii quot articulos percurrerit tot diebus post accedet Novilunium, & Epactam currentem adscriptam reperies in Calendario, videlicet diem 18. Martii, cui adscripta est Epacta currens.

CAPUT VI.

Quomodo omni die ætatem Lunæ cognoscere possimus.

A Die ultimi Novilunii per caput præcedens cogniti, numera rectâ per articulos dies elapsos mensis præteriti (si modo finitus sit) vel præsentis. Nam numerus articulorum percursorum ætatem Lunæ significabit. v. g. Septima Apr. volo scire ætatem Lunæ, incipio numerationem à radice Indicis, & numero quo die fuit ultimum Novilunium, & numero dies reliquos Martii & 7. April. in quotum articulum acciderit septimus numerus Aprilis tot dierum erit lunæ ætas, plures modos dedimus tr. 2.

CAPVT VII.

Quomodo per Regulares cognoscatur ætas Lunæ.

REgulares sunt certi numeri mensibus attributi qui cum Epacta currente ætatem Lunæ quam in Kalendis habet, ostendunt. Qui autem Regulares quibus mensibus attribuantur sequens distichum ostendit quod licet tract. priore posuerimus uti & nonnulla alia, causâ tamen commoditatis etiam hîc repetimus.

1. 2. 1. 2. 3. 4. 5.
Ars brevitatis amans, bona cunctis dicitur esse
6. 8. 8. 10. 10.
Firmius hæc hærent Karmine composita

In

In quibus ſingulæ voces menſibus reſpondent ſingulis, prima Januario, reliquæ reliquis, & quotam quælibet habet literam initialem in ordine Alphabeti, tot unitatum regularem ſui menſis indicabit. His cognitis. Adde regularem menſis propoſiti ad Epactam currentem & conficies ætatem quam habet Luna in Calendis, ad ſi addas numerum dierum eo menſe elapſorum detractâ priùs unitate, ne primus dies bis accipiatur & à ſumma 30. rejicias ſi poſſis, conflabis ætatem Lunæ quam eo die habet, potes autem dies elapſos, in digitis rectà numerare. Quodſi abſtrahas ætatem Lunæ primi diei à diebus menſis præcedentis relinquentur dies ultimi novilunii. Sit exemplo, quærit aliquis 4. Martii anni 1589. ætatem Lunæ. Epacta erat 13. huic addit 1. & abjectâ 1. addit 4. dies hujus menſis, & collegit inde ætatem Lunæ fuiſſe dierum 17.

CAPUT VIII.

Quomodo Cyclus Solis reperiatur?

CYclus Solaris ſive literarum Dominicalium, eſt revolutio 28. annorum propterea quòd literæ Dominicales poſt 28. annos eædem redeant. Numerum ergo iſtius cycli pro quolibet anno ſic inveſtigabimus. In pollicis ſiniſtri tribus articulis & 4. radicibus quatuor digitorum interioribus collocandi ſunt anni centeſimi ab ortu Chriſti. In extremitate quidem pollicis ponitur 0, in medio ejus articulo 100. in radice ejus 200. in radice indicis 300. & ſic ulteriùs procedendo ad radicem auricularis, & inde rurſum ad extremitatem pollicis. Deinde in iisdem articulis diſponendi ſunt hi ſeptem numeri, videlicet 9. 25. 13. 1. 17. 5. & 21. ita ut 9. ponatur in extremitate pollicis, cæteri deinceps ordine ſuo. Ex his numeris primus, ſcilicet 9. fuit cyclus proximo ante Chriſti natalem anno, & quia in 100. ter continentur 28. & ſuperſunt 16, ſequentes numeri generantur continuo

per adjectionem 16. ad præcedentem. Quodsi proximè præcedenti adjicies 4. procreabis tertium ab illo, uno semper intermisso.

Inventurus ergo numerum cycli solaris pro aliquo anno, vide priùs an sit centesimus, nec ne? Si est: accipe eum numerum qni in eundem articulum cum centesimo cadit. Si non est, tum vel est minor quam 28. vel non. Si minor, adjice illum numerum ad eum qui illi anno centesimo debetur, & numerus inde surgens erit cyclus illius anni, si non superet 28. Sin superet 28. abjectis 28. residuum pro cyclo retinebis. Quodsi annus post centesimum superet 30. abjice 30. quoties potes, & pro qualibet abjectione 2. recipe. Hos binarios & residuum conjunge cum numero anni centesimi, & aggregatum si non superat 28. numerum cycli significabit. Sin superet, abjectis 28. reliquum erit numerus cycli ejus anni v. g. Sit quæstio quis fuerit cyclus anni 1592. Vide primum quoties habeas 30. in 92. (habes autem ter & supersunt 2.) ac proinde sex accipias pro illis abjectionibus, quibus adjunge residuum videlicet 2. & habe' is 8. hæc adde ad numerum, qui debetnr anno 1500. videliad 25. & habebis 33. ex illis abiice 28. & restabunt 5. qui numerus est cyclus anni propositi decimi post correctionem calendarii, hoc est 1592. Hæc doctrina quomodo ad digitos referatur, sequens caput ostendet.

CAPUT IX.

Quomodo litera Dominicalis reperjatur?

DOminicales literæ, sunt primæ septem literæ Alphabeti secundum naturalem ordinem dierum in Calendario dispositæ, quarum variæ pro variis temporibus in diem Dominicum cadunt, ac semper secundum usum ordinem retrogradum tenent. Si enim hoc anno in usu fuerit B. sequenti anno usus erit

non

non C quod ſequitur, ſed A quod præcedit. Quæ porrò ex his literis ſingulis annnm in uſum veniat ac proinde litera ſit Dominicalis, hoc modo cognoſces. Diſpone transverſim in quatuor digitis ſiniſtræ manus 28. numeros cycli Solaris, facto initio à radice indicis. Deinde diſpone in 4. radicibus dictorum digitorum has literas Dominicales, in radice auricularis F. in radice annularis G. in radice medii A. in radice indicis B. C. Quæ quidem diſpoſitio uſui erit uſque ad annum Domini 1700. incluſivè. Poſt hunc autem annum propter ſubtractionem diei (quæ poſt hac tribus continuis annis centeſimis ſemper omittetur, quarto centeſimo) mutabitur uno loco diſpoſitio literarum, ita ut in radice auricularis ponatur G. in radice annularis A. in medio B. in indice C. D. atque hæc diſpoſitio valebit a 1700. usque ad 1800. atque ſic deinceps centeſimo aliquo dies ſubtrahetur, diſpoſitio literarum per unam literam rerogradietur. His poſitis, quære primùm per præcedens caput cyclum anni propoſiti, deinde vide in quem digitum & articulum cadat, demum incipe numerationem a loco & litera radicali illius digiti, & progredere rectà per articulos & medietates articulorum, ſeu per nodos & intermedia, usque ad articulum in quem cadit cyclus. Quæ enim litera in eundem articulum cadit, ea eſt Dominicalis anno propoſito.

Quodſi velis habere litram ſecundum antiquum Calendarium tot locis retrogradieris in ordine literarum Dominicalium, quot locis diſpoſitio novi prætergreſſa vetus Calendarium. Id autem ex primis literis quæ in radice auricularis ponuntur, coliges. In antiquo Calendario litera C. eo loci ponebatur, nunc in novo litera F. itaque ut nunc litera F. tertio loco priùs ponitur quàm C. ita inventâ literâ Dominicali ſecundùm novum Calendarium tertiò loco ante illam, antiqui Calendarii literam Dominicalem invenies, v. g. Quia

anno

anno 1589. numerus Cycli solaris fuit 2. qui numerus ponitur in radice medii, ibidem reperio A. literam Dominicalem pro novo Calendario & tertio ante illam loco literam E. pro antiquo, & remitto tres literas Dominicalices retrorsum videlicet. G. F. E.

Notanda sunt tamen aliqua circa prædicta. 1. Omnes annos qui cadunt extra Indicem esse communes, qui autem in Indicem, esse Bissextos. 2. In indice prætereunda esse internodia in quærenda litera Dominicali & singulis articulis tribuendas esse binas literas ut se ordine consequūtur post radicales. 3. ex inventis in indice literis posteriorem indicare Dominicas usque ad festum S. Matthiæ, priorem autem ab eodem festo usque ad finem anni.

CAPVT X.

Quinam Sit anus Bissextilis, qui Communis?

ANnos non centesimos bissextiles aut communes sic reperies. Proposito quovis anno rejice omnes millenarios aut centenarios & ex residuis numerum 20. quoties potes, reliquos autem in quatuor digitorum extremitatibus sinistræ manus enumera facto initio ab indice. Nam si annus datus cadat in quartum seu auricularem, erit bissextilis, si in indicem erit primus post Bissexum: si in medium erit secundus, si in annularem, erit tertius a Bissexto. Simili modo centesimos Bissextiles & non bissextiles cognosces. Figuras numerorum quæ ultra locum quartum a dextra versùs sinistram ponuntur rejice omnes: quæ autem tertio & quarto loco ponuntur eos tantum considera ut numerum compositum inter se constituant, si modi significantes sint: quod si cifra intervenerit eâ neglectâ solum figuras significantes considera, & unitates earum per quatuor prædictos digitos numera: si cadat ultimâ

unitas

unitas in auricularem est bissextus: si in indicem, est primus post bissextum: si in medium secundus: si in annularem, tertius ab illo, v. g. quia in anno quem assumere in exemplum placet, 1000. tertio loco est ciphra, eâ omissâ, unitatem solum considero quæ loco quarto ponitur, eamque, colloco in indice, & alligo, annum 1000. esse primum post bissextum, in hoc vero numero 203000. solum 3. considero, in hoc, 1300. considero 13. quorum ille in anularem cadit, hic autem in Indicem, ac proinde ille tertius post bissextum. Quodsi uterque numerus, tertius & quartus ciphra esset, annus bissextilis esset, & cessaret omnis operatio. Qui porrò desiderat scire quotnam dies intercalares omissi sunt ab anno corectionis usque ad centesimum quemcunquè, is videat tractatum 2. cap. 1.

CAPUT II.

Quomodo festa mobilia invenienda sint!

DIspone primùm recto ordine per 7. articulos omnium 4. digitorum sinistræ manûs septem literas Dominicales, in radice cujusvis incipiendo a D. postea in proximo articulo cujusvis digiti ponendo E. & sic deinceps reliquas literas secundùm naturalem eorum ordinem in proximis articulis collocando post G. ad A. veniendo, donec ad septimum articulum pervenias, in quo C. collocabitur; secundò dispones etiam per eosdem septem articulos quatuor digitorum sinistræ manûs 30. Epactas & ordine quidem recto procedes quoad digitos, sed quoad numeros Epactarum retrogrado, neque etiam ab unitate sed a 24. & 25. incipias, quos numeros simul pone in septimo articulo auricularis, in sexto verò articulo eiusdem auricularis pones 25. diversi coloris cum 26. in reliquis literis unum tantùm numerum epactarum reponas qui ordine naturali sequitur, & post 30. ad 1. redibis, & ab ea ad binarium

& ternarium: per reliquos numeros juxta ordinem naturalem perges, ita ut 30. cadat in secundum articulum auricularis, 1. in radicem ejusdem, 2. in septimum articulum auricularis, tandum 22. in radicem indicis, & 23. in volam manûs. 3. Diligenter memoriæ mandandæ sunt radices festorum mobilium, hoc est, dies mensium, ante quos nunquam festa mobilia celebrari possunt, in ipsis tamen aliquando celebrantur. Sunt autem istæ radices.

Septuag. 18. Jan. Ascensionis 3. Apr.
Cinerum 4. Febr. Pentecostes 10. Maij.
Paschalis 22. Martij Corporis Christi 21. Maij.

4. Sic operaberis ut aliquod ex prædictis festis mobilibus reperias. 1. Vide in quem digitum Epacta eius anni cadat. 2. Vide in quem articulum litera Dominicalis proxima post Epactam incidat. Nunquam enim accipitur litera præcedens, aut cum Epacta coincidens. 3. A radice Indicis & festi propositi numera recto ordine dies mensium usque ad literam Dominicalem (posito nimirum in radice Indicis numero radicis festi propositi in secundo articulo eiusdem indicis numero, majore, & sic deinceps usque ad articulum progrediendo, in quo litera Dominicalis reperitur) dies enim mensis in quo numeratio terminetur, erit is quo propositum festum celebratur. Hic tamen operæ pretium fuerit scire quot dies mensis quisque habeat ut post finem cuiusquè (si ita numeratio exigat) ad initium alterius venias. Ian. habet 31. Febr. 28. Martius 31. April 30. Majus 31. atque horum quinque mensium numerum scire necessarium & sufficiens est, qui omnium mensis dies scire desiderat, adeat 1. tract. 2. Nota, numerum qui in numeratione in locum Epactarum Paschatis incidit, significare diem mensisquo 14. Paschalis accidit. 3. Nota in anno Bissextili omnia festa mobilia invenienda esse post posteriorem

ſteriorem literam Dominicalem, ita tamen ut ad diem Septuageſimæ inventum ſemper adjiciatur unus dies, ad diem verò Cinerum, tum demum, cùm in menſe Februario inventus eſt.

CAPUT XII.

Quando Adventus Domini celebretur?

ADdventus Domini eâ Dominicâ incipit quæ eſt proxima feſto S. Andreæ quod in 30. Nov. cadit, ac proinde tantùm celebrari poteſt a 27. Nov. incluſivè, ubi litera Dominicalis B. in calendario poſita eſt usque ad 3, Dec. ut autem ſcias quo die celebrandus ſit Adventus, diſpone ſeptem literas Dominicales per ſeptem articulos indicis incipiendo a B. quos pones in radice Indicis, C. autem pones in ſecundo articulo, D. in tertiò, & ſic deinceps per naturalem ordinem articulorum & literarum poſt G. ad A veniendo. Deinde vigeſimam ſeptimam Nov. in eadem radice collocabis. 28. in ſecundo articulo: 29. in tertio: 30. in quarto. 1. Dec. in quinto. 2. Dec. in ſexto. 3. Dec. in ſeptimo. Dies enim incidens in articulum ubi litera Dominicalis continetur, eſt ille quo Adventus celebrari debet.

CAPUT XIII.

Quot ſint Dominicæ inter Pentecoſten & Adventum?

DIſce primo per cap. 11. hujus tractatûs quo die Paſcha celebratum aut celebrandum ſit. Deinde numera rectè per 5. articulos quatuor digitorum ſiniſtræ manûs dies à Paſchate uſque ad 23. April. in quem diem feſtum S. Georgii incidit, & vide quoties 7. in numero collecto contineatur, tot enim Dominicæ addendæ ſunt ad 24. Quodſi feſtum Paſchæ in diem S. Georgii incidat, erunt 24. Sint prius veniat, erunt ſolùm 23. id quod rariſſimè contingit.

CAPUT XIV.

A quo die incipiat quilibet mensis cujusvis anni?

ANte omnia sciendum quæ litera Dominicalis Calendis seu primæ diei cujusvis mensis in Calendario præponatur, id quod ex 12. voculis sequentium versiculorum cognosces.

Astra dabit Dominus gratisque beabit egenos.
Gratia Christicolæ feret aurea dona Fideli.

Quarum vocum prima Januario, secunda Februario &c. tribuitur, reliquæ reliquis mensibus, & prima litera cujusvis vocis est ea Dominicalis quæ in Calendario mensis illius calendis apponitur. His cognitis, numera in extremitatibus quinquè digitorum sinistræ manûs à litera Dominicali currente usque ad primam literam mensis propositi, & facilè conjicies inde, quæ feria incipiat. Sit exemplo Anno 1589. quia litera Dominicalis erat A. quæ etiam Calendis Jan. apponitur, colligo Januarium die Dominica incepisse. Quia verò litera initialis Martii est D. ut tertia vox primi versûs indicat & anno præsenti 1671. eadem est Dominicalis, itaque 1. Martii contigit die Dominico.

CAPUT XV.

Quæ sit feria qualibet die Mensis?

SI dies mensis non procul absit à Calendis ut cùm non superat 7. numera in extremitatibus quinque digitorum tot literas Dominicales à prima litera mensis quotus dies proponitur. Nam habitâ literâ Dominicali diei propositæ, colliges per præcedentem regulam feriam ejusdem v. g. si quæratur quæ Feria fuerit sexto Martii anno 1589. percurso sex literas sic. D. E. F. G. A. B. & colligo sextæ diei Martii esse appositam literam B. deinde per præcedentem regulam numero in extremitatibus digitorum à litera Dominicali quæ est A. usque ad B. & quia

sunt tantum duæ literæ AB. colligo sextam Martii fuisse feriam secundam. Vel quia B. immediatè sequitur literam Dominicalem anni propositi, quæ est A. colligo sextam diem Martii esse proximam Dominicæ, hoc est feriam secundam.

CAPUT XVI.

De Nonis, Idibus, Kalendis, loco Solis ac Lunæ.

ETsi possit etiam hoc loco agi de prædictis, quia tamen Geometria per enumerationem digitorum & articulorum difficillimè cognoscerentur, propterea in præsenti, volentem ea scire ad tractatum primum & secundum remittimus, ubi de illis quantum erat necesse agimus.

CAPUT XVII.

De Indictione.

INdictio est revolutio 15. annorim, cujus, usus est in Bullis Pontificiis,diplomatibus,aljisq; scripturis publicis, de quo plura tract. 1. Ut autem annum Indictionis currentem cognoscas, sic operaberis. In extremitatibus trium digitorum, Pollicis, & Medji dispone ordine annos centesimos, collocando in pollice o. in Indice 100. in medio 200. rursus in pollice 300. & sic deinceps in reliquis secundùm ordinem digitorum, & annorum centesimorum perges. Magno autem numero centesimorum proposito, ità sedem ejus expeditè reperies. Ex numeris centesimis sine compositione, simpliciter ac per se separatim acceptis, rejice 3. quoties potes, ut apud Arithmeticos in probatione per 9. fieri solet, & reliquo numero adjice 1. & ex hac summa si major sit quàm 3. rursum abjice 3. nam propositus centesimus collocabitur in eo digito quem ultimus numerus procreatus significat. v. g. Sit datus numerus 1589. accipio 15. & quemlibet numerum per

se considero, videlicet 1. & 5. quæ simul sumpta constituunt 6. ex quo abjicio bis ter & nihil remanet, adjicio autem 1. & habeo 1. qui significat annum propositum 1500. in primo digito, hoc est in pollice habere sedem. Deinde in eisdem tribus digitis sunt reponendi tres certi numeri indictionum, in primo 3. in secundo 13. in tertio 8. juxta hunc versum. Da tria primo, alii tredecim, dein octo sequantur. Tandem adjice annos expansos ad dictum numerum digitorum in quibus anni centesimi habent sedem (hoc est annos qui supra centenos elapsi sunt adjice ad numerum ejus digiti in quo centesimus propositus habet sedem suam) & ex tota summa abjice 15. quoties potes, residuum enim annum Indictionis significabit. Sit exemplo. Quia 1500. in primo digito hoc est in pollice locum habet, & ibi 3. repositum est, adjiciuntur ad illud 3. anni expansi, hoc est 89. qui sunt propositi ut fiant 92. ex his abjiciuntur 15. quoties possunt & remanent 2. hæc ergo 2. significabunt annum Indictionis quæsitum.

Notandum verò quando anni expansi sunt multi, expeditiùs esse ut abjiciantur ex numero aggregato 30. quoties possunt demum & 15. si possunt, & residuum pro anno indictionis servetur. 2. Nota. Quod possimus annos centesimos & tres prædictos numeros disponere per tres articulos solius pollicis, sicut antea per extremitates digitorum disponendos diximus, quomodo etiam supra cap. 3. aureum numerum in iisdem tribus articulis pollicis pro inveniendis Epactis disponendos esse diximus, idem enim hâc ratione per tres articulos pollicis, quod per tres extremitates digitorum inveniemus.

CAPUT XVIII.

Quota sit Olympias, & quotus eius annus?

OLympias spatium est quatuor annorum, quod a ludis qui Jovi

Jovi Olympico quinto quovis anno, 4. interjectis, celebrabantur, originem duxit. De quo vide tract. 1. Quotus verò annus Olympiadis agitur cognosces simili modo quo supra cap. 10. annos post bissextilem cognoscendos diximus. Aufer ex annis Christi annos centesimos, ex reliquis aufer 20. quoties potes, residuos numera in extremitatibus, quatuor digitorum sinistræ manûs incipiendo ab Indice, in quo ponitur primus annus nonæ Olympiadis, in medio secundus, in annulari tertius, in auriculari quartus. Atque hoc modo annos non centesimos cognosces; centesimos autem simili modo investigabis quo supra cap. 10. anno bissextiles centesimos, diximus esse cognoscendos, figuras quæ ultrà quartas versùs sinistram tendunt abjiciendo, & tertiam ac quartam, solùm considerando, quatenus (si utroque sit significans) numerum compositum inter se constituunt. Quodsi alterutra sit ciphra, hoc casu tantùm unitates alterius considera, & per extremitates quatuor digitorum sinistræ manûs enumera ducto principio ab extremitate indicis. Et si quidem numerus cadat in indicem, erit primus annus Olympiadis nonæ, si in medium secundus, si in annularem tertius, si in auricularem quartus. Quodsi tertio & quarto loco sit ciphra erit initium novæ Olympiadis. Atque hæc ita contingent si secundum probabiliorem opinionem ponamus primam Olympiadem incepisse annis 780. ante Christum; quodsi ponamus incepisse annis 774. ante Christum natum, facies omnia prædicto modo, in quo numerationem annorum residuorum incipies ab annulari, & tum si ultima unitas cadat in indicem erit primus annus novæ Olympiadis: Si in medium secundus, si in anuularem tertius, si in auricularem quartus. Cæterum quoniam anni Olympiadum non solent communiter numerari nisi non adjectione Olympiadis certa, propterea faciliùs arithmetice eum cognosces eo modo quo supra tractatu primo docuimus, & quem

quem hic brevissimè ostendemus. Anno Christi addantur 780. & totum aggregatum dividatur per 4. Quoties dabit numerum Olympiadum, residuum verò annum Olympiadis currentis. Quodsi aliorum opinionem sequi nolis, qui Olympiades volunt incepisse ante Christum annis 774. hos adjice ad annos Christi & operare ut dictum est. Sit exempli ad annum præsentem 1671. addo 780, fit summa 2451. divisi per 4. quotiens 612. dat numerum Olympiadum, residuum 3. dat numerum supra prædictas currentis Olympiadis.

TRACTATUS IV.

CALENDARII NOVI.

In quo agitur de Astronomica supputatione temporum ac festorum mobilium.

RAtio computandi certa tempora ac festa mobilia Astronomicè & facilis est & jucunda: & eâ fortasse ratione cæteris modis computandi nobilior, quòd sit perpetua, & unico ictu sub oculos subjiciat ea, quæ reliqui modi post multas operationes ostendunt. Duplici autem modo hanc computandi rationem trademus, primò per tabulas deinde per rotulas paucis etiam verbis rerum de quibus agitur descriptiones, seu nominum explicationes adjiciemus, ne sit opus pro earum cognitione hinc ad priores tractatus recurrere.

Tabula I. pro Aureo numero.

AUreus numerus est revolutio 19. annorum ab 1. usque ad 19. naturali ordine procedentium, quâ revolutione peractâ iterum ad unitatem reditur. Dicitur hæc revolutio etiam cyclus Lunaris, & cyclus decemnovennalis, eâque finitâ novilunia ad eosdem dies mensium relabuntur licet non præcisè sed aliquâ diei particulâ citiùs. Annus verò hujus cycli seu

aureus numerus anni currentis ex ſequenti tabula ſic invenitur Quæratur annus Domini ſub ſuo titulo, qui ſi in tabula deſcriptus fuerit, aureus numerus ad dextram ipſius collocatur, addita prius unitate erit is qui quæritur. Quodſi non contineatur in tabula accipiatur proximè minor cum ſuo aureo numero, deinde quæratur reſiduus numerus in tabula, ſi eſt: vel proximè minor, ſi non eſt, idque eò uſque faciendum dum nihil ſuperſit, & ſemper aurei numeri, in unam ſummam collecti inveniendi ſunt, rejectis a toto numero compoſito 19. Si rejici poſſunt, & tandem numero reſiduo unitas adjicienda eſt, componetur enim hâc ratione numerus anni propoſiti. v. g. ſi quæratur aureus numerus pro anno 700. quoniam hic numerus in tabula reperitur, accipio numerum ei adſcriptum videlicet 16, & ei addo unitatem & dico 17. eſſe aureum numerum dicti anni 700. quodſi ponatur annus 1671. quoniam in tabula non reperitur, accipio proximè minorem qui eſt 1000. cui adſcripta ſunt 12. deinde quæro reſiduum videlicet 671. & quia in tabula non

Tabula Aurei Numeri.

Anni	Aurei	Anni	Aurei
1	1	300	15
2	2	400	1
3	3	500	6
4	4	600	11
5	5	700	16
6	6	800	2
7	7	900	7
8	8	1000	12
9	9	2000	5
10	10	3000	17
20	1	4000	10
30	11	5000	3
40	2	6000	15
50	12	7000	8
60	3	8000	1
70	13	9000	13
80	4	10000	6
90	14	20000	12
100	5	30000	18
200	10	40000	5

est, accipio proximè minorem 600. cui adscripta sunt 11. quæ adjecta prioribus efficiunt 23. Iterum quæro residuum videlicet 71. sed quia in tabula præcisè non reperitur, accipio rursus minorem numerum qui est 70. & adscribirur illi 13. quæ adjecta priori numero efficiunt 36. demum quæro cui adscriptum est 1. & in summam cum prioribus colligo, efficiunturque 37. ab his rejicio 19. mauent 18. a quibus adjicio unitatem & proveniunt 19. qui est numerus aureus anni propositi 1671.

Constitutio hujus tabulæ hoc modo se habet. Anni Domini & aurei numeri usque ad 10. uniformes sunt, & sibi mutuò respondent, post annum Domini 10. fit progressus per 10. in annis, & semper etiam præcedenti numero aureo sunt adjicienda 10. rejectis 19. ab aggregato numero si rejici, & quoties possunt, & residuum vel numerus aggregatus minor quàm 19. pro aureo numero servatur. Hac arte tabulam expendere potes ad quoscunque annos si observes per quos annos tabula progrediatur, & qui aureus numerus respondeat illi anno a quo progressio incipit. Unde in summa loquendo quæratur aureus numerus pro singulis figuris numeri majoribus quam sint 20. unitates addantur invicem adjectâ unitate & ex summa abjiciantur 19. quoties possunt, reliquum dabit aureum numerum: vel si nihil abjici possit ipse erit aureus numerus.

Tabula 2. pro cyclo Solari inveniendo perpetua.

CYclus solaris sive literarum Dominicalium est revolutio 28. annorum, post quos literæ Dominicales eodem ordine redeunt. Invenitur hic cyclus solaris ex hac tabula simili planè modo quo numerus cycli Lunaris ex priore: hoc solùm differentiæ est quòd ex numero aggregato rejiciuntur 28. si possunt, & quoties possunt & tandem ad residuum adjiciuntur 9. rejectis rursum 28. si possunt. Adjiciuntur autem 9. ultimo numero, eo quòd Christus anno decimo hujus cycli solaris

ſolaris ſit natus, atque ita fuit anno primo Domini decimus cyclus, & anno ſequenti 11. Compoſitio etiam hujus tabulæ non differt a priore, itaque produci poteſt in infinitum.

Tabula 2.

An.	Aur	Anni	Aur
1	1	300	20
2	2	400	8
3	3	500	24
4	4	600	12
5	5	700	0
6	6	800	16
7	7	900	4
8	8	1000	20
9	9	2000	12
10	10	3000	4
20	20	4000	24
30	2	5000	10
40	12	6000	8
50	22	7000	0
60	4	8000	20
70	14	9000	12
80	24	10000	4
90	6	20000	8
100	16	30000	12
200	7	40000	16

Tabula 3.

Lũ.	Sol.	Anni	An.D.
1	9	0	
6	25	100	2000
11	13	200	2100
16	1	300	2200
2	17	400	2300
7	5	500	2400
12	21	600	2500
17	9	00	2600
3	25	800	2700
8	13	900	2800
13	1	1000	2900
18	17	1100	3000
4	5	1200	3100
9	21	1300	3200
14	9	1400	3300
19	25	1500	3400
5	13	1600	3500
10	1	1700	3600
15	17	1800	3700
1	5	1900	3800

Tabulâ 3. ex qua uterque Cycclus & Lunaris & Solaris ſimul inveniuntur.

UT ex hac tabula numeri prædictorum Cyclorum inveniantur, notandi etiam ſunt quidam alii numeri radicales

 pro

pro Cycli quidem Lunari 19. 38. 57. 76. 95. Pro Solari 28. 56. 84. His radicibus cognitis sic numeros cyclorum reperies. Quære in hac tabula centenarium anni propositi sive sit supra sive infra millenarium seu millenarius ipse, & vide quis numerus cyclorum illi respondeat a sinistris. Et siquidem annus propositus sit unus ex centesimis præcisè, tunc numerus illi respondens erit cycli numerus. Sin secus, alii anni adjungantur. Vide jam utrum numerus annorum sit unus ex radicibus an non. Si est, accipias eundem numerum cycli quem prius ex annis centesimis invenisti. Si non est, accipe radicem proximè minorem, tunc dispositis ordine naturali numeris cyclorum ab 1. usque ad extremum numerum procedentium idqve vel in charta hoc modo pro Luna 1. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Pro solari 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.

Vel per articulos digitorum sinistræ manûs, & positâ radice super numerum cycli per centenarium inventum, progredere in ordine annorum per naturalem seriem numerorum cycli, usque ad annum propositum, & in quem numerum annus propositus cadit, is numerus est cyclus anni propositi. Sit exemplo. Quæratur quisnam aureus numerus fuerit anni 1590. Quæro primo 1500. & video 19. illi respondere, deinde accipio radicem proximè minorem quàm 90. videlicet 76. & hoc numero annorum posito supra 19. Cycli Lunaris progredior in numero annorum per numeros cycli Lunaris usque ad 90. à fine cycli ad initium ejus redeundo & quia 90. annus cadit supra 14. Cycli Lunaris. Dico 14. esse aureum numerum anni propositi. Simili planè modo in cyclo solari operandum est. Si enim proponatur idem annus 1590. Quæro primò annum 1500. & video 25. illi adscripta, deinde accipio radicem cycli Solaris proximè minorem quàm 90. videlicet 84. & posi-

to hoc

to hoc numero super 25. Cycli Solaris progredior in numeris annorum per numeros cycli solaris usque ad 90. & quia 90. numerus cadit supra 3. dico 3. esse numerum cycli solaris anni propositi. Qui vellet posset hanc tabulam in infinitum protendere additis semper 100. ad præcedentem numerum. Facilior autem erit operatio ejusmodi. Si proponatur numerus centenorum annorum major quam sit in hac tabula, tunc subtrahe ab eo numerum maximum hujus tabulæ, videlicet 3800. quoties potes, residuum centenarium quære in hac tabula & reperies numerum Cycli ei adscriptum ut priùs, cum quo etiam operaberis ut priùs.

Tabula 4. Cycli Epactarum una cum cyclo Martyrologii perpetua.

P	I	C	c	P	F	f	s	M	i	A	*Literæ*
*	11	22	3	14	25.25.	6	17	28	9	20	*Epacta*
a	m	D	d	q	G	g	t	N	K	B	*Literæ*
1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	*Epacta*
b	n	E	e	r	H	h	u				*Literæ*
2	13	5	16	27	8	19					*Epacta*

Epacta nihil est aliud quàm numerus diebus quibus annus solaris communis dierum 365, annum communem Lunarem dierum 354. superat, tales numeri sunt in universum 30, ex quibus quolibet anno usurpatur is qui ultimam Lunationem anni præteriri superat usque ad novum sequentem. Litera autem Martyrogii est certa litera alphabeti, cui in Martyrologio ætas Lunæ subscripta reperitur. Per Epactam autem Novilunium & ætas Lunæ in Calendario reperiri solet, quæ litera vel Epacta quando sit in usu infra dicemus.

Tabula 5. æquationis cycli Epactarum perpetua.

QUære in hac tabula annum propositum, vel si is non reperitur, annum proximo minorem, & nota literam Al-

 phabeti

N	1	A	2200	q	3600 Biss.
P	320 Biss.	u	2300	p	3700
P	500 Biss.	A	2400 Biss.	n	3800
a	800 Biss.	u	500	n	3900
b	1100 Biss.	t	2600	n	4000 Biss.
c	1400 Biss.	t	2700	m	4100
Detract. 10. dieb.		t	2800 Biss.	ſ	4200
D	1;92 Biss.	s	2900	ſ	4300
D	1600 Biss.	s	;000	ſ	4400 Biss.
C	1;00	r	3100	k	4500
1700 2400	2500 2900			1500 2200				2000 2700				1800 2500				1600 2300				1400 2100	2700 3100			1900 2600	2600 3000		
3100 3800	3300 3700			2900 3600				3400 4100				3200 3900				3000 3700				2800	3500 3900			3300 4000	3100 3800		
1 29	2 30	3 31	4 32	5 33	6 34	7 35	8 36	9 37	10 38	11 39	12 40	13 41	14 42	15 43	16 44	17 45	18 46	19 47	20 48	21 49	22 50	23 51	24 52	25 53	26 54	27 55	28 56
57 85	58 86	59 87	60 88	61 89	62 90	63 91	64 92	65 93	66 94	67 95	68 96	69 97	70 98	71 99	72 100	73 †	74	75	76	77	78	79	80	81	82	83	84

Rota interior mobilis.

Index.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
CB	A	G	F	ED	C	B	A	GF	E	D	C	BA	G	F	E	DC	B	A	G	FE	D	C	B	AG	F	E	D
Lu- na	M. erc	Ju pit	Ve nu	Sat.	Lu n.	M ars	M erc	Jup.	Sa tu.	So lis	Lu na	Ma- rs.	Ju pit	Ve u.	Sa tu	Sol	M ars	M er.	Ju pit	Ven	So lis	Lu na	M ars	Me rc.	Ve nu	Sa tu	So lis
B	A	G	FE	D	C	B	AG	F	E	D	CB	A	G	F	ED	C	B	A	GF	E	D	C	BA	G	F	E	DC
			II				III																				I

USUS. In extremis tribus spatiis quære centesimum proximè elapsum in casellis quæ nullam stellam habent præfixam, & immediatè ante illum pone indicem rotæ mobilis. Deinde quære annum expansum in proximè sequentibus duobus spatiis, & sub ipso in supremo spatio rotæ mobilis reperies numerum cycli solaris: in secundo spatio literalem Domini-

Rota Nona.

Literarum Dominicalium utriusque Calendarii.

calem, in tertio planetam cui adſcribunt Aſtrologi dominium anni, & hoc quidem Dominium Planetarum cum cyclo ſolari in perpetuum durat: litera autem Dominicalis ſolùm ad annum 1700. poſtea verò ſic illam reperies. Quære centeſimum proximè elapſum ſub ſtellis, proximè poſt ipſum pone indicem tum ſub anno expanſo in quarto ſpatio rotæ mobilis reperies iterum literam Dominicalem, & in quinto ſpatio numeros Eccleſiaſticos per tabulam octavam inventos. Sequens centeſimus primi generis reperitur in duodecimo ſpatio poſt præcedentem, ſequens autem ſecundi generis in quarto ſpatio ante præcedentem, poſtea ad primum ſpatium redeundum eſt quarto ſemper centeſimo intermiſſo qui cum tertio convenit.

Rota exterior immobilis.

1582				2200				1900				1700				2300			Anti-	1582	quum			1800			
1600				3100				2000				2600				2400				2100				2700			
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28

Rota interior mobilis,

Index																											
CB	A	G	F	ED	C	B	A	GF	E	D	C	BA	G	F	E	DC	B	A	G	FE	D	C	B	AG	F	E	D
1				3				5				7				2				4				0			

USUS. In extremis duobus ſpatiis quære centeſimum proximè elapſum, & immediatè ante ipſum pone indicem rotæ mobilis, quære deinde ex prædictis regulis, tabulis, vel rotis numerum cycli ſolaris & immediatè ſub ipſo reperies literam Dominicalem; primo autem numero cycli Solaris reſpondebit ſemper is numerus ſub literis Dominicalibus poſitus qui per tabulam decimam fuit inventus. Hunc numerum ſi ſcias & ſub primo numero cycli Solaris ponas, eo ipſo etiam indicem rotæ mobilis ad centeſimum da-

tum movebis.

Rota Decima.

Annorum Indictionis.

Rota exterior immobilis.

		100 400					200 500					300 600		
		1600 1900					1700 2000					900 1500		
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30
31	32	33	34	35	36	37	38	39	40	41	42	43	44	45
46	47	48	49	50	51	52	53	54	55	56	57	58	59	60
61	62	63	64	65	66	67	68	69	70	71	72	73	74	75
76	77	78	79	80	81	82	83	84	85	86	87	88	89	90
91	92	93	94	95	96	97	98	99	100					

Rota interior mobilis.

Index	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

USUS. In extremis duobus ſpatiis quære centeſimum proximè elapſum, immediatè ante ipſum pone indicem rotæ mobilis. Deinde quære annum Domini expanſum, & ſub ipſo in ſupremo ſpatio rotæ mobilis reperies annum indictionis. Cùm rotam mobilem pro uno centenario annorum rectè collocâſti, vide quis numerus reſpondeat indictionis primo numero poſt annum centeſimum expanſum poſito, tum ſi eundem numerum indictionis ſub primo numero annorum expanſorum poſueris, pro ſequenti centenario annorum rectè collocaveris rotam, itaque eam ſic poſitam numerare poteris.

Rota Undecima.

Cycli Solaris cum literis Dominicalibus.

Rota exterior immobilis.

			100				600				400				200				700				500				300
			1500				2000				1800				1600				2100				2900				1700
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
29	30	31	32	33	34	35	36	37	38	39	40	41	42	43	44	45	46	47	48	49	50	51	52	53	54	55	56
57	58	59	60	61	62	63	64	65	66	67	68	69	70	71	72	73	74	75	76	77	78	79	80	81	82	83	84
85	86	87	88	89	90	91	92	93	94	95	96	97	98	99	100												

Rota interior mobilis.

Index.																											
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28

Rota intima mobilis.

AG	D	C	B	CB	A	G	F	ED	C	B	A	GF	E	D	C	BA	G	F	E	DC	B	A	G	FE	D	C	B
2200				1582				1800				1				2300				1700				1900			
3100				1600				2000				2500				2400				2600				2000			
3200				2500				3000				3400				3300				3600				2600			

USUS. In extremis duobus ſpatiis quære centeſimum proximè elapſum, & ut in aliis rotis immediatè ante ipſum indicem majoris rotæ mobilis firma; deinde in minori rotula quære ſimiliter annum centeſimum ſimi iter elapſum & eum adduc ſub primum numerum majoris rotæ mobilis. Tertiò quære annum expanſum, & ſub ipſo reperies in majori quidem rotula numerum Cycli Solaris anni dati, in minori autem literam Dominicalem ejusdem anni. Si numerum cycli Solaris qui reſpondet unitati poſt centeſimum expanſum poſitæ, moveas ſub primum annum numerorum expanſorum, habebis rotulam majorem pro ſequenti centenario rectè diſpoſitam.

Rota

Rota Duodecima.
Festorum Mobilium.

Rota immobilis.

23	22	21	20	19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	*	20	28	27	26 25	21 25							
16	5		13	2		10		18	7		15	4	12	1		9		17	6		14	3		11		19	8								
D	E	F	G	A	B	C	D	E	F	G	A	B	C	D	E	F	G	A	B	C	D	E	F	G	A	B	C	D	E	F	G	A	B	C	
I18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	F1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	
F4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	2	3	4	5	6	7	8	9	10	
M22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	A1	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
A30	M1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	23	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	I1	2	3	
M10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25		26	27	28	29	30	31	I1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13

Index mobilis.

Epacta.
Aureus Num.
Litera Domi.
Septuages.
Cineres.
Pascha.
Ascensio.
Penecoste.

USUS. In supremo spatio quære Epactam anni propositi & in tertio spatio literam Dominicalem proximè post Epactam anni dati sequentem: nunquam autem immediatè sub ipsa positam; ad eandem literam Dominicalem sic inventam, move indicem, & sub illa litera Dominicali invenies omnia festa in indice notata. Hoc modo operaberis non tantùm in annis communibus quando in usu est tantùm una litera Dominicalis, verùm etiam in anno Bissextili quando duæ usurpantur. In anno tamen Bissextili per posteriorem literam Dominicalem quo post festum S. Matthiæ accipitur, festa mobilia quæras, & diei Septuagesimæ & Cinerum inventæ in Januario aut Februario addatur unus dies.

Rota Decima tertia.
Festorum Mobilium.

Index mobilis.

Rota immobilis.

23	22	21	20	19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	*	29	28	27	26 25	24 15							
Ma	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	I1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
M	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	Iui	2	3	8	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
	2	2	1	2	2	2	2	2	2	2	3	3	3	3	3	3	3	4	4	4	4	4	4	4	5	5	5	5	5	5	5	6	6	6	6
Ap	27	28	29	30	Mi	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31
	28	28	28	28	28	27	27	27	27	27	27	27	26	26	26	26	26	26	26	25	25	25	25	25	25	25	24	24	24	24	24	24	24	23	23
N.	29	30	D.1	2	3	27	28	29	30	1	2	3	27	28	29	30	1	2	3	27	28	29	30	1	2	3	27	28	29	30	1	2	3	27	28
4	3	2	1	*	29	28	27	26	25	24	23	22	21	20	19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6							

Epacta.
SS. Trinitas.
Corporis Chri.
Inter Epiphan.
Rogationes.
Dom.postPent.
Adventus.
Epacta futura.

USUS. Vide quis numerus Epactæ respondeat literæ Dominicali sub qua in priori rota 12. quæris festa mobilia eandem in hac rota quære, ac ad eam indicem festorum mobilium move, ac sub ea festa in indice notata quære, exceptâ Epactâ futuri anni in infimo spatio notata: ea enim invenitur in eodem spatio in quo Epacta anni propositi ponitur. Quoties verò Epactam alicujus anni in supremo spatio repereris, toties rectè sub ipsa in infimo spatio epactam sequentis anni positam reperies.

Calendarium Ecclesiasticum.

Rota Decimaquarta.

Æquationis horariæ.

Rota immobilis exterior.

Zodiacus ex centro rotæ dividendus in proportione debita.

|C. |G. |T. A. | V | Le. |C.| |C | Sa. | Sc. | Li. |P. A. |C |

6 5|7 4|8 3|9 2|10 1|11 1|2 11|1 10|2 9|3 8|4 7|5 |6 5|7 4|8 3|9 2|10 1|11 |12 11|1 10|2 9|3 8|4 7|5 6

Rota mobilis interior.

Index

24 23|1 22|2 21|3 20|4 19|5 18|6 17|7 16|8 15|9 14|10 13|11 |12 11|13 10|14 9|15 8|16 7|17 6|18 5|19 4|20 3|21 2|22 1|23 |24 | | |

Sat. |Jup. | Ma. | Sol. |Ven. |Mer. |Lun. | Sat. |Jup. |Mars | Sol. |Ven. |Mer. | Lun. | Sat. |Jup. |Ma. |Sol. |Ven. |Mer. |Lun. |Sat. |Jup. |Ma. | Sol. |Ven. |Mer. |Lun.

Rota intima mobilis in 28. ſpatia æqualia diviſa.

Index

1 |2 |3 |4 |5 |6 |7 |8 |9 |10|11|12|1 |2 |3 |4 |5 |6 |7 |8 |9 |10|11|12|1 |2 |3 | 1

USUS. Pone indicem majoris rotulæ ad horam occasûs limbi, & totâ die ac nocte horæ Italicæ Aſtronomicis reſpondebunt. Si verò dictum Indicem in hora occasûs poſueris, horæ Babilonicæ ejusdem Aſtronomicis in limbo ſcriptis reſpondebunt. Si ponas indicem minoris rotæ immediatè ante planetam à quo dies denominatur, totâ die ac nocte planetæ ſuis horis in minori rota notatis reſpondebunt, in quibus dominari dicuntur. Si ponas indicem majoris rotæ ad locum Solis, tum horæ ſextæ limbi verſùs dextram notatæ reſpondebunt in majori rotula mobili, hora occasûs versùs dextram vergens, & hora meridiei Italici versùs ſiniſtram tendens; à ſiniſtris autem reſpondebunt ſextæ horæ mediæ noctis Babilonicæ in numeris rectis, & hora ortûs in numeris verſis.

Rota Decimaquinta.
Lunaris.

Rota exterior immobilis.

+

FA.M	Dec.		Sep.					Nov.		Aug.					Ja.M	Oct.			

Rota interior mobilis.

21	2	13	24	5	16	27	8	19	1.30	11	4	25	6	17	28	9	20	31.1	12	23	4	15	26	7	18	29	10
13	24	5	16	27	8	19	13.0	11	22	3	6	17	28	9	20	1.31	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2
6	17	28	9	20	1.31	12	23	4	15	26	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	1.30	11	22	3	14	25
28	9	20	11	12	23	4	15	26	7	18	2	2	13	24	5	16	27	8	19	1.30	11	22	3	14	25	6	17

Rota intima mobilis.

Index.

o	o					o	o	o		o				o		o					o

USUS. Quære in tractatibus præcedentibus primum Novilunium anni quod etiam ſic invenies. Subtra currentis epactam à 30. & reſiduum ſignificabit diem Januarii quo fiet prima Lunatio anni. Eo die cognito quære numerum ejusdem in infimo ſpatio majoris rotæ, eamquè ita move ut dictus numerus rectè ponatur ſub ſpatio Januarii & Martii, cui ſpatio crux ſuperpoſita eſt; deinde move indicem minoris rotæ ad lineam immediatè præcedentem, nam ſub ſingulis menſibus in infimo ſpatio majoris rotulæ reperies dies Novilunii, in ſecundo proximè majori primam quadraturam, in tertio plenilunium, in quarto ultimam quartam. Ciphræ verò in intima rota poſitæ iisdem menſibus ac diebus lunationum reſpondebunt.

Rota 16.

Rota 16. Indictionum.

Rota exterior immobilis.

	2100	0				2300	200				2200	100		
	1800	300				2000	500				1900	400		
	1500	600				1700	800				1600	700		
	1200	900				1400	1100				1300	1000		
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

Rota interior mobilis.

Index

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30
31	32	33	34	35	36	37	38	39	40	41	42	43	44	45
46	47	48	49	50	51	52	53	54	55	56	57	58	59	60
61	62	63	64	65	66	67	68	69	70	71	72	73	74	75
76	77	78	79	80	81	82	83	84	85	86	87	88	89	90
91	92	93	94	95	96	97	98	99	100					

USUS. Index ponitur post centesimum elapsum, & in rota minore quæritur annus currens, numerus qui illi in rota majore imminebit, Indictionem ostendet.

Rota 17.

Cycli Solaris.

Rota exterior immobilis.

9				13				17				21				25				1				5			
0	5600			200	5800			400	6000			600	6200			100	5700			300	5700			500	6100		
700	6300			900	6500			1100	6700			1300	6900			800	6400			1000	6600			1200	6800		
1400	7000			1600	7200			1800	7400			2000	7600			1500	7100			1700	7300			1900	7500		
2100	7700			2300	7900			2500	8100			2700	8300			2200	7800			2400	8000			2600	8200		
2800	8400			3000	8600			3200	8800			3400	9000			2900	8500			3100	8700			3300	8900		
3500	9100			3700	9300			3900	9500			4100	9700			3600	9200			3800	7400			4000	9000		
4200	9800			4400	10000			4600	10200			4800	10400			4300	9900			4500	10100			4700	10300		
4900	10500			5100	10700			5300	10900			5000	11100			5000	10600			5200	10800			5400	11000		
IX	X	XI	XII	XIII	XIV	XV	XVI	XVII	XVIII	XIX	XX	XXI	XXII	XXIII	XXIV	XXV	XXVI	XXVII	XXVIII	I	II	III	IV	V	VI		

Rota interior mobilis.

Index

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
29	30	31	32	33	34	35	36	37	38	39	40	41	42	43	44	45	46	47	48	49	50	51	52	53	54	55	56
57	58	59	60	61	62	63	64	65	66	67	68	69	70	71	72	73	74	75	76	77	78	79	80	81	82	83	84
85	86	87	88	89	90	91	92	93	94	95	96	97	98	99	100												

USUS. Indicem adduc ad annum dapſum centeſimum, & in rota mobili quære annum currentem ſupra centeſimum, tum in numero Eccleſiaſtico adſcriptus reſpondebit illi cyclus.

Rota 18.

Literarum Martyrologii.

Rota exterior immobilis.

A	a	m	D	d	q	G	g	t	N	k	B	b	n	E	e	r	H	h	u	P	l	C	c	p	F	f	M	i
XX	I	XII	XXIII	IV	15	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XXVIII	IX

Rota interior mobilis.

Index																												
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	1	2										

USUS. Indicem adduc ad Epactam currentem, poneque ante illam uno ſpatio, & illi reſpondebit, ſuperiùs litera Martyrologii, inferiùs aureus numerus.

Rota 19.

Rota 19.

Noviluniorum.

Rota exterior immobilis.

I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	X	XI	XII	XIII	XIV	XV	XVI	XVII	XVIII	XIX	XX	XXI	XXII	XXIII	XXIV	XXV	XXVI	XXVII	XXVIII	XXIX	XXX
28 6	27 6	26 22	25 14	24 14	23 10	22 13	21 13	20 3	19 3	18 10	17 17	16 22	15 14	14 21	13 21	13 8	12 7	11 7	10 24	9 24	8 9	7 23	6 23	3 1	4 2	3 20	2 3 31 2	1 7 30 2	29 7
27 19	26 19	25 8	24 1	23 1	22 14	21 4	20 7	19 2	18 20	17 0	16 7	15 7	14 24	13 14	12 14	11 1	10 9	9 0	8 23	7 23	6 22	5 8	4 8	5 9	2 12	1 12	0 0	0 0	28 13
28 9	27 9	26 19	25 9	24 9	23 2	22 17	21 17	20 13	19 13	18 18	17 17	16 17	15 9	14 1	13 1	13 15	12 14	11 14	10 6	9 6	8 0	7 17	6 17	3 18	4 16	3 0	24 31 11	1 18 39 10	29 18
27 22	26 20	25 1	24 17	23 17	22 10	21 3	20 3	19 5	5 18	17 10	16 5	15 5	14 18	13 10	12 10	10 11	10 1	9 1	8 22	7 22	6 3	5 22	4 22	3 9	2 10	1 10	30 23	29 9	28 9
26 14	25 14	24 20	23 1	22 1	21 17	20 10	19 10	18 19	17 19	16 3	15 6	14 5	13 3	12 15	11 15	11 18	10 10	9 10	8 12	7 12	6 18	5 12	4 12	1 19	2 18 31 15	1 13 30 10	29 9	28 22	27 22
25 5	24 5	22 10	22 9	21 9	20 0	19 18	18 18	17 7	16 7	15 10	14 21	13 21	12 15	11 8	10 8	9 1	8 18	7 18	6 2	5 2	4 9	3 24	2 24	1 2	30 1	29 1	28 18	27 9	26 9
25 20	24 20	23 1	22 23	21 23	20 9	19 0	18 9	17 17	16 7	15 6	14 12	13 12	12 18	11 17	10 17	9 10	8 1	7 1	5 15	5 15	4 0	3 14	2 14 31 14	30 22	29 9	28 9	27 1	27 8	26 8
23 11	22 11	21 18	20 8	19 8	18 19	17 9	16 9	15 11	14 11	13 17	12 12	11 12	10 11	9 5	8 5	7 18	6 10	5 10	4 24	3 2	2 13 3 31	1 6 30 7	30 6	29 12	28 17	27 17	26 9	25 2	24 2
21 0	20 0	19 10	18 23	17 23	16 8	15 19	14 19	13 11	12 11	11 3	10 21	9 21	8 4	7 10	6 10	5 5	4 19	3 19	2 12	1 12	30 3	29 23	28 23	27 4	26 3	25 3	24 19	23 10	21 10
21 13	20 13	19 4	18 17	17 17	16 3	15 8	14 8	13 20	12 20	11 13	10 13	9 13	8 22	7 7	6 7	5 20	4 4	3 4	2 13 31.23	1 43 30.13	2 21	28 17	27 17	26 23	25 16	24 16	23 5	23 12	22 12
19 10	18 1	17 15	16 12	15 12	14 17	13 24	12 24	11 18	10 18	9 10	8 12	7 12	6 14	5 8	4 8	3 12	2 2 8	1 8	30 9	29 9	28 24	27 11	26 11	25 18	24 8	23 8	22 18	21 3	20 3
19 3	18 3	17 4	16 6	15 6	14 12	15 17	12 17	11 7	10 7	9 21	8 14	7 14	6 4	5 7	4 7	3 9	0 2 31.11	1 2 30.11	29 20	28 20	27 4	21 1	26 1	25 11	24 2	23 25	22 9	21 20	21 20
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29		1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

Rota interior immobilis,

Se	pt	ua	Q	ua	dr	Pa	ſc	h	Ro	ga	tio	Aſ	ce	ns.	Pe	nt	ec	Tr	ini	tas	Co	rp	or	Fe	ſta	
X.	V I	II		IV	X	X	X	II	X	X	VII		X		X	X	X	X	V	II	X	X	I	Cl	av	es.
Ja	nu	ar	Fe	br	ua	M	art	ius	A	pr	il.	M	ai	us	M	ai	us	M	ai	us	M	ai	us	M	en	ſes

Caput indicis

- Epacta
- Januarius
- Februarius
- Martius
- Aprilis
- Majus
- Junius
- Julius
- Augustus
- September
- October
- November
- December
- Epacta sequ.
- Festa
- Claves aquil.
- Menſes.

index

Rota 20.

Festorum utriusque Calendarii ad annum 1700.

Rota immobilis

Index mobilis.

Annus	1676	1677	1678	1679	1680	168[1]	1682	1683	1684	1685	1686	1687
Septuag.	2 F	14 F	6 F	29 I	18 F	2	25 I	14 F	30 I	18 F	10 F	26 I
Cineres.	19 F	3 M	23 F	15 F	28 M.	19 F	11 F	3 M	16 F	7 M	27 F	12 F
Pascha	5 A	18 M	10 A	2 A	21 A	6 A	29 M	18 A	2 A	22 A	14 A	30 M
Ascensio.	14 M	17 A	19	11	30	15	7	27	11	31	23	8
Pentecost.	24	27	29 M	21	9 I	25 M	17 M	6 I	21 M	10 I	2 I	18 M
Corporis D.	4	17	29	1	20	5	18 M	17	1	21	13	29 M
Indictio.	14	15	9	2	3	4	5	6	7	8	9	10
Dom. post Pent.	26	24	25	27	24	26	27	24	27	24	25	27
I. Adventus.	29 N	28	27	3 D	1 D	30 N	29 N	28 N	3 D	2 D	1 D	30 N
Pascha Vetus.	26	15	39 M	20 A	11 A	3 A	6 A	8 A	30 M	19 A	14 A	17 M
Dist. cum novo.	10	7	0	28	0	7	28	0	7	7	0	7

Annus	1688	1689	1690	1691	1692	1693	1694	1695	1696	1697	1698	1699
Septuag.	15 F	6 F	22 I	11 F	3 F	18 I	7 F	30 I	19 F	3 F	26 I	15 F
Cineres.	3 M	23 F	8 F	28 F	20 F	4 F	24 F	16 F	27 F	20 F	12 F	4 M
Pascha	18 A	10 A	26 M	15 A	6 A	22 M	11 A	3 A	22 A	7 A	30 M	19 A
Ascensio.	27	19	4	24	15	30	20	12	31	16	8	28
Pentecost.	6 I	29 M	14 M	3 I	25 M	10 M	30 M	22 M	10 I	26 M	18 M	7 I
Corporis D.	17	9	25 M	14	5	21 M	10	2	21	6	28 M	18 I
Indictio.	11	12	13	14	15	1	2	3	4	5	6	7
Dom. post Pent.	24	25	28	25	26	28	25	26	24	26	27	24
I. Adventus.	28 N	27 N	3 D	2 D	30 N	29 N	28 N	27 N	2 D	1 D	30 N	29 N
Pascha Vetus.	15 A	31 M	20 A	12 A	21 M	16 A	8 A	24 M	12 A	4 A	24 A	9 A
Dist. cum novo.	7	0	33	7	0	35	7	0	0	7	35	0

USUS. Index adducitur ad annum currentem, & quæ illi adscripta, in illo anno ostendi.

USUS. Indicem adduc ad Epactam in supremo circulo positam quæ currenti anno competit, & ordine singulis mensibus dabuntur in suis circulis Novilunia. Initium horarum sumendum à meridie. Claves festorum significant quòd non citiùs illa festa celebrari possint quàm die illis adscriptâ, quæ idcircò vocatur clàvis. In circulo majoris rotæ ultimo habetur Epacta anni sequentis. Sciendum verò quòd Novilunia intra 19, annos fiant unâ horâ tardiùs, minutis 27. Secundis quatuor, juxta quod præcedens rota accommodanda erit.

Tractatus

TRACTATUS V.
CALENDARII
De Prognosticis.

CAPUT I.
Quare hic Tractatus cæteris adjungatur.

Quoniam plerique qui Calendaria seu Ephemerides conscribunt, & ordinant, præcipuè in Germania ac Polonia præter festa mobilia & nomina Sanctorum, quæ suis adscribunt locis ac temporibus, adjungunt etiam quædam, de futura anni conditione, quæ tempestates, agriculturam, sanitatem, & alia his similia concernunt; & ij etiam qui ea emere volunt; hæc quærunt, & scire magnopere desiderant; non abs re visum fuit, ut reliquis 4. tractatibus, etiam quintum adjungeremus, in quo aliquid hâc de re conscriberemus. Sic enim fiet ut nec aliis dissimiles esse in hac parte videamur, nec legentium expectationem frustremus. Dabimus etiam fortassis non nullis occasionem desistendi, à nimio futurarum rerum sciendi desiderio cùm ex nostris & quæ sciri possint intelligent, & quæ ventura sint percipient. Satis faciemus insuper amicorum petitioni, qui id magnis à nobis precibus efflagitârunt, &c. Opus ipsum Calendarii perfectius reddetur, & omnibus suis numeris absolutum. Quoniam verò hæc non pro uno tantùm loco conscribimus, nec pro uno tantùm hominum genere, (omnibus enim servire ac gratificare cupimus) propterea regulas plerumque generales ponimus, quæ omni possint accommodari loco & præcepta non tantùm pro doctis, ex intimis Astrologiæ arcanis deprompta, verùm etiam vulgaria & trita pro Simplicioribus, ut unusquisque reperiat & loco

& conditioni suæ accommodata, hoc solùm ab omnibus petimus, ut si quid boni ac certi adferimus id benignè accipiant ac totum uni DEO acceptum ferant, sin quid minus probatum & certum ipsi rei naturæ, quæ tantis est obstructa difficultatibus, & circumfusa tenebris, ut nec sine majoribus viribus, nec sine majori lumine ingenii certius dici quidpiam possit.

CAPUT II.

Quot sint genera prognosticorum?

ESse aliqua quæ prævideri, ac (ut sic loqui liceat) prognosticari possint, non solum est apud doctos receptum verum etiam in vulgus notum, & satis gravi illâ Christi Domini Sententiâ confirmatum quâ teste Mat. 16. pharisæis ac sadducæis ipsum tentantibus ac signum de Cœlo ab eo petentibus, respondens, ait. *Facto vespere; dicitis serenum erit, rubicundum est enim cœlum & mane, hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergò cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis?* Et his clarioribus verbis apud Luc. 12. *Cùm videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, Nimbus venit & ita fit; & cùm austrum flantem, dicitis quia æstus erit & ita fit &c. Hypocritæ faciem cœli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? &c.*

Sunt autem in universum tria prognosticorum Genera quæ solent usurpari; Unum eorum quæ Causas habent certas ac stabiles; atque hoc, ut est maximè necessarium, ita etiam omnium certissimum ac tutissimum. Hujus generis sunt illa. Cum Astronomi futuram Solis & Lunæ defectionem longè ante prædicunt. Item quis sit locus eorum in Zodiaco, quæ ætas Lunæ, quis ortus vel occasus Solis, quæ longitudo diei & noctis & alia similia, præterea etiam illa, cùm-

cùm Literas Dominicales, aureum numerum, Epactas, cum omnibus festis mobilibus ac immobilibus in calendario pro toto anno disponunt.

Alterum genus est eorum quæ claras quidem causas habent, sed tamen incertas, & quæ possint impediri, magis aut nimis facilè pro diversitate rerum. Hoc genus satis usitatum est, ac receptum, & omnibus permissum, & siquidem causæ præsentes sint, probabiliter nos in alicujus effectûs cognitionem deducunt, ut cùm manè videmus Cœlum rubere aut quandocunque sit densis obductum nubibus colligimus pluviam.

Tertium genus est eorum quæ causas habent obscuras & ab hominum sensu remotas, in quo genere sunt omnes divinationes Astrologorum, quas colligunt ex diverso positu Stellarum. Et hæc quidem sola ferè prognostica vulgò dicuntur, licet forsan minùs propriè, quàm priora. Si enim sciri nullo modo possunt nec ulla probabili conjecturâ attingi, ea quæ hoc modo prædicuntur, clarum est ea prognostica dici non posse. Quod enim non noscitur omnino, quomodo præcognoscetur? Sin autem sciri possunt, ut Astrologi asserunt, vel probabiliter conjici, rectè illis prognosticorum nomen tribuetur. Quid autem hac de re sentiendum sit, id jam, priùsquàm ulteriùs progrediamur, exponemus.

CAPUT III.

Utrum dentur aliqua prognostica tertii generis?

DAri hujusmodi prognostica, constantissimè asserunt Astrologi, atque hoc nomine gloriantur, quòd ii soli ex omnibus sint, qui non solum de aëris mutatione, longè ante, certum aliquid prædicere possint, verùm etiam de vita, statu &

conditione hominis, de moribus ejus ac fortuna quæcunque demùm illi eventura sint, & quo genere mortis obiturus. Quam quidem suam professionem, ajunt multis jam sæculorum ætatibus propagatam, maximorum virorum auctoritate confirmatam & experientiâ ipsâ comprobatam, ut meritò ad se tanquam ad Divinum Oraculum accurrant homines, & quod à se prædictum audiunt, tanquam ex tripode dictum sit, accipiant. Ego autem in longè diversa sum sententia & tantum abest, ut ad eos non tantùm non accurram, vel eos ab aliis consulendos esse putem, sed nihil inutiliùs, vaniùs stultiùs, & periculosiùs, & homine Christiano indigniùs fieri posse existimem. Hoc totum quod dico ut fusissimè, ita etiam doctissimè, ac firmissimis probarûnt rationibus, eruditissimi illi simul ac nobilissimi, Mirandulani Picus & alii qui contra Astrologos egerunt.

Ego paucissimis verbis (quoad fieri potest) pro instituti mei ratione, rem ita planam faciam, ut nulli sanæ mentis homini, ac veritatis studioso dubium ullum relinqui possit. Tum autem rem confectam putabo, cùm nullam eos scientiam, nullamque probabilitatem de rebus quas prædicunt, habere monstravero, & maximè cum eorum temeraria & vana divinatione, pericula conjuncta. Verùm de hoc postea: primum jam clarissimè, quasi digitis ostendam. Omnia quæ Astrologi circa vitam & mores hominum prædicunt, ex schemate nativitatis colligunt, hoc est ex certa quadam figura in qua stellarum positus tempore conceptionis vel nativitatis proponitur, & præsertim ex horoscopo, hoc est ex ea stella quæ dicto tempore, supra horizontem emergit. Sunt autem in diversas divisi sententias. Aliqui enim ex puncto Conceptionis, aliqui ex puncto Nativitatis vaticinantur, qui & ex utroque genere, reperiuntur, quorum aliqui unicum

temporis

temporis momentum requirunt, seu instans indivisibile; alii, & quidem pauciores latitudinem aliquam permittunt. Ex eis qui unico momento contenti sunt quæro, quomodo momentum illud Conceptionis vel nativitatis scire possint? Si ullo modo sciri potest, certè non aliunde nisi ex ipsis parentibus. Quis enim melius ipsis sciet? Illi autem in tali negotio quomodo momentum illud advertent? Si vel ipsosmet, vel alios ex clepsydra aut quovis horologio scioterico, vel sonante, illud collegisse dicas, dubium tamen erit num ea horologia justè sint facta, & directa, justèquè horam demonstrârint, cùm ex centum vix ullum omnibus suis numeris absolutum reperias. An omnes Astrologos tunc præparatos astitisse dices, cum quadrante, cum astrolabio, cum omnibus denique Mathematicis instrumentis, ut illud horæ momentum observarent. Difficilè id est creditu sed tamen fac ita esse. Quomodo autem scies instrumenta ea fuisse perfecta aut eos rectè usurpâsse, vel rectè observatum, rectè suis accommodâsse figuris & calculis?

Deinde cum homo non unico momento concipiatur vel nascatur, quare tu potiùs hoc, quàm aliud momentum accipies? ex quo omnia dijudicare velis? Nihil est quod respondere probabiliter possint, convicti ergo manent. Quòd si latitudinem aliquam temporis concedant, & vi argumentorum coacti requirant; quæro, quantum temporis id esse debeat. Si exiguum? eadem quæ priùs difficultas orietur, & omnia inconvenientia prædicta recurrent. Sin notabile, ut exempli causâ mediæ horæ, incident in scyllam cupientes (ut ait ille) vitare charibdim. Si enim ita est, quî fit quod multi eodem temporis assignati spatio, concepti vel geniti, diversissimos habuerunt rerum eventus? ac totius vitæ morumque ac mortis diversitatem? Cur non idem Esau, qui

Jacob

Jacob, vitæ conditio fuit? ac fortuna? Hâc certè ratione S. Gregorius olim Priscellianistas, astrologorum hac in parte similes, ita pressit, ac ursit, ut non haberent quid responderent nisi ad miserum illud momentum à nobis jam explosum confugerent. Hoc tamen tempore sunt non nulli qui alias latebras repererunt. Sed extrahemus illos in lucem, & veritatem illos cogemus saltem agnoscere si non velint fateri. Quid igitur dicunt? Eò casu, ajunt, fortunam impediri, & non eum effectum sortiri quem habuisset, si unus solus natus esset, aut conceptus. At quomodo hoc fieri potest? An eos liberè ac voluntariè agere dices? At rationis participes non sunt, ut pro arbitratu agere possint, vel non possint? Sed forsan ad intelligentiam confugies, & eam stellarum virtutem & influentiam prohibere dices; sed frustra tum quia etsi quælibet stella suam haberet intelligentiam non tamen impediret communem naturæ cursum & operandi consuetudinem præsertim in Cœlis ubi mutatio quævis in plura redundaret.

Demùm sive hoc sive illud dicas, rem semper magis dubiam reddes. Nunquam enim scies quando stella vel ipsa per se, vel intelligentiâ sic volente, agat vel non agat; quomodo ergo certi aliquid ex operatione & influxu stellæ divinabis, & eventurum pronunciabis? His accedit, quòd omnes Philosophi, uno ore dicant, stellas, ut res naturales sunt ita etiam naturaliter hoc est necessariò agere, & quidem ut reliquæ res, secundum ultimum potentiæ ita ut totam agendi vim, quantamcunque habent exerceant. An forsitan ab altero gemello impedietur ac tolletur illa vis & fortuna? Verùm is neque voluntariè id facere potest, cum usum rationis non habeat, neque naturaliter, cùm omnibus Philosophis concedentibus, corpora cœlestia agant sine repassione.

His

His accedit experientia clariſſima quæ quotidie confirmat tàm commodè ignem aut ſolem calefacere me, præſente alio quàm abſente. Unum reſtat ut dicant ſed non ex actione ſtellæ fortunam judicare, ſed ex ea tamque ex ſigno illam colligere, ut cœlum illis quaſi liber ſit, ubi futura contingentia legant. Verùm neque hoc conſiſtere poteſt. Cùm enim in caſu poſito, effectus monſtratus, non ſequatur, conſequens eſt, ut vel liber ille præſtantiſſimus naturæ, falsò ſcriptus ſit, vel certè illi talem librum legere neſciant, aut librum & ſigna fingant ubi nulla ſunt. Puto hâc ratione ita conſtrictos Aſtrologos ut ſe nullam in partem ampliùs movere poſſint. Verùm liberos eos dimitto, nihil ea valeant nihil adhuc ſit dictum: quid quæſo ad hæc quæ modò afferam reſpondere poterunt? Si ex virtute ſtellarum omnia indicant & prædicunt Aſtrologi, cur potius ex horoſcopo, quàm ex illis ſtellis quæ tempore Conceptionis vel nativitatis meridianum tenuerunt? illæ enim majorem habent virtutem agendi ſicut quotidie experimur, tunc ſolem magis calefacere; cujus cauſa eſt, quod tunc & ipſe & alia aſtra non obliquè ut cùm ſint in horizonte, ſed directè radios transmittant. Deinde cùm in horizonte ſicut & in quapiam alia Cœli parte, multæ ſint ſtellæ, quare potius fortunam ex hâc, quàm ex alia colligunt? An non omnes æqualiter agunt & ad productionem concurrunt? Experientiâ ajunt, id didicimus, hanc tantùm magis, quàm aliam, agere, ſicut Medici naturam herbarum etiam experientiâ diſcunt. Rectè hoc dicerent, ſi ut Medicus certam herbam vel radicem mihi applicat aut comedendam præbet, illi etiam certam aliquam ſtellam, vel ſaltem virtutem illius, cæteris ſecluſis, mihi certò applicare; & in potione, vel pillulis, aut quovis alio modo devorandam præbere poſſent: Si autem hoc fieri omnino non poteſt,

quid experientiam medici objiciunt? Ego contra exemplo Medici contra eos sic ratiocinor. Si Medicus vel plurimas herbas aut radices simul mihi sumendas daret, vel in horto positas relinqueret, num tu illi fidem haberes, si sanitatem tuam uni solùm certæ herbæ, vel sumptæ, vel in horto relictæ tribueret? cur ergo vis ut ego tibi fidem habeam, qui difficiliora & incertiora narras? Quia ais reipsâ evenit, quod ego prædixi, & sæpiùs quidem evenit. Id me nihil movet, primùm enim fatearis necesse est, te nescire utrum propter hanc vel aliam stellam sic positam, id evenerit, vel potius propter nullam, atque adeò te causam ejus eventûs ignorare, & te solùm ut psittacum divinationem tuam protulisse. Deinde si veritatis amator sis, fateberis libenter, sæpius etiam non evenire, ac proinde stellam illam, si modò aliquid faciat, non tam esse causam, ut sequatur, quàm ut non sequatur talis fortuna. Propterea fac semel, bis, ter, vel etiam sæpius & quidem continenter accidisse fortunam ex tali stella prædictam (quod tamen ego non facile crediderim.) Quomodo scies, non casu accidisse? certè negare non potes, quare id quod casu fit, bis, ter, quater, etiam decies & vicies accidere posse. His omnibus tamquam cumulus accedit, quòd ea quæ ab Astrologis prædicuntur, sæpiùs ope Diaboli eveniant, vel propter pactum explicitum quod faciunt cum eo, vel propter implicitum. Qui habuerint pactum explicitum novi egomet, & noverunt præter me alii plures. Et hi cùm mortem, exempli gratiâ alicujus Principis prædicebant, non eam ex stellis colligebant, ut jactabant, sed ex relatione Diaboli cognoscebant, qui cùm omnium rerum naturalium perfectam cognitionem habeat, perinde ut Angeli boni, testibus Theologis, novit, & meliùs quàm Medici novit quanto tempore homo, secundùm communem naturæ cursum

vivere possit. Sic etiam multa alia novit, & revelat Astrologis.

Qui implicitum pactum habeant, puto esse plures, licet ipsimet nesciant. Id autem fit hunc in modum. Cum prædicit Astrologus aliquid ut exempli gratiâ, Socratem fracturum crus suum. Tum Diabolus procurat, ut id eueniat, quandoquidem plerique si non omnes solent esse homines impij & Legum DEI Contemptores, tam Astrologi ipsi, quàm qui eos consulunt. Hinc rectè Sixtus V. Pont. Max. tanquam ex Cathedra Petri loquens, in bulla, quam contra Astrologos edidit, ait inter cætera. *Astrologorum Divinationes, hominum improborum astutiâ, & dæmonum fraudibus introductas, ex quorum operatione, consilio vel auxilio omnis divinatio dimanet sive quod expressè ad futura manifestanda invocentur, sive quod ipsimet pravitate sua, & odio in genus humanum, occultè, etiam præter hominis intentionem se ingerant & intrudant, vanis inquisitionibus futurorum ut mentes hominum perniciosis vanitatibus & fallaci contingentium prænuntiatione, implicentur, & omni impietatis genere depraventur,* & paulo post ait, *dubitandum non esse, in contingentium & fortuitorum eventuum inquisitione & præcognitione diaboli operationem se fallaciter miscere, ut suâ fraude ac dolis miseros homines à via salutis avertat, & laqueo damnationis involvat.* Hæc ille & rectissimè, ut semper ex Cathedra Petri concludi solet. Demùm etiàm hac de causa quandoque fortunam prædictam evenire arbitror, quod stultitiæ & inobedientiæ ac falsæ illorum fidei ac confidentiæ iratus DEUS permittat, quod alioquin permissurus aut facturus non erat ac si diceret. Stulte homo, tàm vanus es, & levis ut contra mea præcepta & Ecclesiæ prohibitionem, operam des Astrologis, & credas ventura quæ ipsi tibi prædicunt fiat tibi secundùm fidem tuam: volo enim ut tibi eveniant omnia mala, quæ ipsi tibi prædixerunt. Hæc quæ dico pluribus certissimis, notissimis,

mis, atque pulcherrimis exemplis eorum probare possem, qui dum fugerent & pericula vitarent ab Astrologis prædicta fugiendo & vitando in ea inciderunt, quod eis nunquam evenisset si nullam Astrologis fidem habuissent, neque ea pericula fugissent. Si itaque ea quæ prædicunt Astrologi, vel à diabolo discunt, vel diabolo procuratore, aut DEO punitore eveniunt, clarum est eos nullam prorsus scientiam habere, id quod ex natura hominis & propriis Astrologorum principiis deinceps adhuc manifestiùs probabitur.

CAPUT IV.

Ex Natura hominis probatur nullam Astrologos habere scientiam futurorum, quæ prædicunt.

ETsi firmissimis argumentis ex natura ipsarum stellarum petitis, probatum sit, nullam Astrologos habere scientiam, non minus tamen firmis rationibus, ex natura hominis desumptis, id ipsum nunc probabimus, quorum omnium fundamentum est libertas hominis, quem *DEUS reliquit in manu Consilij sui* ut legitur in scriptura, & *apposuit illi ignem & aquam* bonum & malum, ut possit eligere quodcunque voluerit; Si ergo verum est, habere hominem liberum arbitrium ut verissimum est, nullâ ratione poterit Astrologus determinatè scire, vel constanter pronunciare, eum certi quidpiam facturum ut exempli gratiâ, ad bellum profecturum, unde enim ipse determinationem voluntatis eius agnoscet? quæ nam stella hoc illi dicet? Quia inquis habebit ad illud inclinationem. Num ideo facturus; an non in malum proclives omnes ab adolescentia? num ideo mali omnes? Ubi illud principis Astrologorum Ptolomæi. *Sapiens dominabitur Astris?* ubi illud efficax DEI verbum, *Subtus te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.* Ubi illud Pauli, *Sentio aliam legem in membris*

membris meis &c. Ubi erunt consilia? Ubi prohibitiones, & leges?

Bestiarum est impetum naturæ sequi, hominis autem ductum rationis. Quod si Astrologi nos bestias esse velint, ut feramur, quocunque impellit nos natura, tamen neque tum quidem certam prædicere fortunam poterunt,tum quod, ut cap. præcedente probatum est neque inclinationem certam ex stella cognoscere possint, tum quod nesciant, utrum forsan alia quæpiam stella aliam etiam inclinationem impresserit, vel ipsamet natura fortiorem & majorem ad unum quàm stella illa, ad contrarium. His accedit quod complexio, atque adeo naturalis inclinatio varias ob causas mutari possit. *Primò* ab ipsis Progenitoribus nam rectè dicitur. *Sæpè solet similis Filius esse Patris.* 2. *à nutricibus.* 3. *à diversitate ciborum* 4. *à medicamentis.* 5. *à mutatione aëris.* 6. *ex speciali DEI gratia.* 7. à *proprio hominis studio & actibus contrariis*, denique *à morbis & multis aliis modis.* Sed habeat sanè inclinationem & certò eam Astrologus cognoscat undecunque velit, propter multas tamen causas certò non sciet, hominem secuturum eam inclinationem. Et quidem primò propter ipsum lumen rationis quo illustratus homo, cognoscit hoc sibi non utile non honestum futurum. 2. propter educationem, si enim aliquis in pietate & bonis literis educetur & exerceatur, tu eum ad latrocinia profecturum credes? 3. propter contraria parentum studia & hortamenta. 4. propter defectum occasionis. Si enim nullum moveatur bellum, sed maximâ omnes pace fruantur quo vis illum profecturum quem Mars inclinat, ubi præliaturum? 5. Propter occasionem contrariam. Si enim in loco ubi degit vigeant literæ, & magna sint eis præmia proposita, & is habeat qui pro se sumptus faciat, quique cùm gradum doctoratus attigerit etiam dignitatem promittat, nequaquam is studiis relictis incertam

belli fortunam ſequetur. Quod ſi unus ex mille reperiatur tàm deſperatus & malè moratus non propterea idem de alijs judicium facere licet. Quid ſi morbo præpeditus? Quid ſi perpetuo carceri addictus? Quid ſi morte intempeſtiva, ſeu naturali ſeu violenta tollatur? quomodo vis eum tum ob bellum proficiſci. Erat inquies profecturus ſi non mortuus, aut impeditus fuiſſet, vel aliorum conſilio, ſuaſu aut rogatu, à propoſito non abductus, vel ſi occaſionem habuiſſet. Quid ergo tu mihi tanquam certum promittis, quod plurimis modis poteſt impediri? Si ſidera tibi hæc impedimenta non oſtendunt, nihil oſtendunt. Nihil tu prædicis, cùm ex ſtellis quæ mihi eventura ſunt prædicis. At experientiam forſan urgebis, & unum aut alterum exemplum produces in quo demonſtres eveniſſe quod erat promiſſum & prædictum. Ego verò experientiam non repudio, ſi ea adferatur, ſed adferri poſſe multum dubito, tum propter ea quæ cap. præcedente diximus circa Medicum, tum etiam quod nec habeatur experientia affirmativæ partis, ſi res æquè ſæpè aut etiam ſæpius pro contraria parte acciderit. Quare licet Aſtrologus aliquando ſcopum attingat & eveniat ſemel, iterùm atque tertiò quod prædixit; quia tamen ſæpius non evenit, fruſtra experientiam & fallaciter uſurpat. Sæpius autem non contingere id quod prædicunt negari non poteſt. Fatentur enim hoc ipſimet, & novi ipſe plurimos, quibus nihil minus evenit quàm quod prædictum erat; Noverunt alii qui multa hujus rei exempla prodiderunt. Novit etiam quisque quàm plurimos eodem tempore concipi vel naſci poſſe, qui tamen diverſiſſimam habent fortunam. Quàm multi eodem tempore nati cum Regibus & Principibus, qui tamen pauperrimi fuêre & ad Regum vel Principum fortunam nunquam pervenerunt! Quàm multos è contrario eadem adverſa belli fortuna ſuſtulit qui

diverſo

diverſo loco ac tempore nati? cùm tamen ſecundum Aſtrologorum doctrinam, & vaticinia, omnes illi priores, eandem fortunam, omnes poſteriores diverſam habere debuiſſent. Itaque ſicut nemo eos qui digitis micant, vel par impare ludunt, fatetur ſcientiam ſui lusûs, vel experientiam lucri habere, eò quòd aliquando lucrentur, cùm interim æque ſæpe aut ſæpius etiam perdant, ita omninò de Aſtrologis judicandum eſſe cenſeo. Ludunt enim cùm vaticinantur, & illudunt miſeros, nec ullam ſui lusûs ſcientiam habent vel experientiam, ſed caſu omnia faciunt, id quod præter rationes ſupradictas etiam iſtæ ſequentes efficaciſſimè probant & clariſſimè demonſtrant. Stellæ eodem modò ſunt nunc in cœlis conſtitutæ quo erant in principio mundi quando Adamus erat in Paradyſo, & in ſtatu innocentiæ, & quo futuræ erant ſi ſtatum illum cum poſteris retinuiſſet & mandatum DEI nunquam transgreſſus fuiſſet: at in illo ſtatu innocentiæ, nec efficiebant nec ſignificabant ſtellæ fortunam hominum, quandoquidem nec ad malum, neque eandem aut tam diverſam vitæ morumque conditionem homines habuiſſent, & fortunæ varietatem atque nunc; ergò neque nunc in ſtatu peccati eam efficient, vel ſignificabunt. Cùm Ariſtotele auctore & cæteris Philoſophis conſentientibus. *Idem, manens idem* (ut ſtellæ manent eædem) *ſemper aptum ſit facere idem.* 2. Sol omnium planetarum Princeps omniumque ſtellarum maximè activus, non in momento calefacit, indurat, liquefacit, diſponit, producit res, aut deſtruit, ſed paulatim & ſucceſſivè, ergo neque etiam aliæ ſtellæ ac planetæ. Ac proinde in puncto nativitatis nihil in homine producent & nihil illum immutabunt ab eo qui erat in utero matris, atque adeo nihil ex eorum actione prædicere poterunt Aſtrologi, nihilque ex virtute & efficacia horoſcopi & reliquarum ſtellarum in quacunque domo

tunc

tunc fuerint, aut quamcunque positionem & aspectum habuerint. 3. Stellæ non minus influere & agere possunt in infantem dum est in utero Matris quàm extra; sicut enim virtus earum penetrat cœlos, ignem, aërem, tecta domorum, & parietes, imò maximos montes & densissima terræ viscera, ita etiam & quidem multò faciliùs viscera Matris. Ergo si fortuna stellis attribuenda est, potius illis attribuenda esset quæ agebant in infantem dum utero Matris clauderetur, quàm illis, quas post partum in illum agere dicunt, quandoquidem illos longo tempore faciliùs disponere & immutare possint, quàm istæ brevissimo temporis momento. Sed illis non tribuitur fortuna, neque ullo modo tribui potest, etiam ipsis Astrologis concedentibus, ergo neque his. 4. Infans paulatim in utero Matris formatur, & disponitur & ex diversitate seminum, & imaginatione Matris, itemque ex diversitate ciborum, potûs, morborum, laborum ejus, diversam sortitur dispositionem & complexionem, ut omnes Philosophi uno ore clamant, quam etiam in ipsis infantibus natis permanere experientia ipsa testatur, ergo non acquirit dispositionem, complexionem, & naturam, atque adeò propensionem & fortunam ex stella nativitatis. 5. Si ex horoscopo, aut quocunque stellarum positu, & aspectu, complexionem, propensionem, & fortunam hominis dijudicare possumus omnino recurrendum est, ut ille mutet priorem infantis dispositionem & complexionem, alioquin potiùs ex illa quàm ex horoscopo petenda esset nati fortuna, at eam non mutat, quia alioquin natura frustra laborasset in inducendis dispositionibus & complexionibus eo tempore quo mater tulit uterum, frustra etiam stellæ eo tempore in infantem influxissent, & stellæ sibi mutuo adversarentur, ut quod una efficit altera destrueret. Denique quod unico nativitatis momento veteres

dispositiones expellere, & novas introducere deberet, & totum infantem mutare. Sed adhuc insistamus huic errori profligando qui tam altas egit in aliquorum mentibus radices. Scriptura sacra est quæ dicit. Homo *futura nullo potest scire nuntio.* Eccles. 8. 7. *Quid post se futurum sit quis ei potest indicare?* certè si Astrologus futura sciret, esset futurorum nuncius; esset qui indicaret futura. Unde S. Aug. lib. 2 Christ. doctrinæ concludit. *Motum astrorum notare cùm quisque nascitur, & ex ea notatione velle nascentium mores, actus, eventa prædicere, magnus error, & magna dementia est.* Et super Genesim ad lit. *Cùm Astrologi, veri aliquid prænuntiant, occultissimo dæmonum instinctu faciunt.* Qui spiritus nequam hâc viâ trahit in ruinam animas. Sed neque ille scit futura nisi quæ ex causis necessariis pendent; ex quo à fortiori, neque illa scire potest Astrologus, neque enim insultaret Isaias 41. 23. ubi improperat dæmoniis, & dicit. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos?* Si itaque dæmones qui naturali scientiâ longè Astrologos superant, scire non possunt futura, multò minùs illa scient Astrologi, qui etiam ex hoc capite ipsis in cœlo Beatis essent feliciores, de quibus S. Th. 1. p. q. 12. a. 8. ad 3. docet quòd futura ignorent, essent Salomone sapientiores, qui fatetur Prov. 30. 19. se viam viri in Adolescentia ignorare. Sed & illud argumentum omnem bene dispositum intellectum potest convincere. Quia nullus insignium Philosophorum, cùm tamen sit adeo scientia futurorum expetibilis, illam sectatus, unde Aristoteles 2. Phys. 52. *Casualia fortuitaque incerta esse, eorumque neque artem, neque scientiam haberi.* Et ipse quem suspiciunt ut suum legislatorem Ptolomæus, quamvis alioqui multis locis depravatus, hoc tamen in centiloquio reliquit. *Eos solos futura singulariter cognoscere, atque prædicere: qui, divini afflati sunt Spiritus lumine.* Hæc verba inveniuntur

in originali, quod transtulit Trapezuntius. Nos miseros, herbarum, lapidum, animalium, & rerum aliarum, quas manibus palpamus, proprietates ignoramus, & astrorum tam dissitorum, & quæ ad eandem constitutionem vix post multa annorum millia redeunt, scire se perfectè naturam Astrologi, plerumque Physicæ ignari, jactitant. Colligant priùs ex astris quo tempore mundus conditus, & credi illis poterit aliquid circa futura? Videant quanta de primo mundi exortu dissensio, componant illam demonstrativè, & litem finiant. Mundum conditum ante Christum Rabini docent annis 3760. Philon. 3960. Græci cum Eusebio 5200. LXX. 5321. Latini ex Isidoro 5196. Alphonsus 6984. Hermannus 3952. alii 4035. Sed ut in cæteris ita in hac re aliquod commentum pro veritate obtrudent, & ut suo errori patrocinium faciant more Priscillianistarum DEUM ipsum astris subjicient, ita enim Albumazar apud Picum lib. 3. c. 11. Qui lunâ existente in nodo Boreali oraverit, à DEO exaudietur, ita, scilicet Luna DEUM ad exaudiendum coget? Ita & Abraham Judæus Astrologus Messiam venturum prædixit anno Christi 1444. quando scilicet ♃ cum ♄ in ♋ conjungebatur; hæc nimirum conjunctio DEUM urgebat ut alium Messiam Judæis mitteret. Arnaldus Hispanus apud Picum lib. 5. c. 4. Antichristum venturum anno Christi 1345. Superavimus, DEO sit laus hæc tempora, & neque Messiam, neque Antichristum conspeximus. Albumazar ibid. cap. 1. Christi fidem non duraturam ultrà annum 1460. periit impius Arabs & fides Christi durat, & vastissimæ Indiarum Orientialium & Occidentialium ad illam fiunt etiamnum accessiones. Audiendus hic iterum Ptolomæus in operis quadripartiti prooemio. *Non existimandum est, omnia à supernis causis*, id est ab astris, *in res humanas derivari, tanquam inviolabili & divino quodam*

dam edicto proposito singillatim, ut nulla vis obsistere, quin illa grassentur valeat. Vide ibid. plura.

CAPUT V.

Ex propriis Astrologorum principiis breviter probatur eos nullam habere scientiam.

OMnium scientiarum aliqua sunt principia, & quidem certissima, ita, ut Aristotele teste, nihil illis certius, notius & credibilius esse possit. Hæc si in Astrologia quæras nulla reperies. Quæ enim proponunt de planetarum potestate, dominio, domibus, exaltatione, dejectione, minis, & terminis, de benignis & malis terribilibusque eorum aspectibus, de triplicitate, de Hylech & prorogatorum directionibus, de culminibus & cuspidibus, signorumque faciebus & alia generis ejusdem, ea neque per se nota sunt, neque per alia notiora probata; nec ulla probabili ratione vel experientiâ confirmata, sed sunt planè obscura, incognita, incerta, nihil aliud quàm figmenta. Qualia ergo erant principia? & si principia talia sunt *qualis erit scientia?* & qualia ea quæ ex ipsis colliguntur? Si ipsum lumen quod est in te (ait Servator noster) tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Agant sanè de sole, tractent de luna, semper sidera contemplentur, tot tamen ac tàm splendida cæli lumina nunquàm sic eos illuminabunt, ut clarè aliquid videant & in lucem proferant quàm diu prædictis suis principiis inhærebunt, & tanquam velamine tecti erunt, semper in tenebris manebunt, semper ex tenebris loquentur, semper tenebras aliis offundent, id quod clariùs ex iis quæ modò dicturus sum intelligetur.

Maxima est inter Astrologos de plerisque rebus controversia, cum alii hâc, alii aliâ viâ procedant & moderni à veteribus

teribus, veteres à modernis, utrique inter se maximè discrepent, tùm in aliis rebus, tùm verò maximè & in quo plurimum positum est, in domibus cælestibus & erigenda figura nativitatis, quæ est quasi tripos eorum ex qua sua dant responsa: alium enim modum habuerunt antiqui, alium tenent moderni, & diversi quidem diversos, nec adhuc quis eorum optimus sit dijudicare potuerunt, cum interim constet, plures uno, bonos esse non posse. Quid ergò firmi, & ex fundamento tam infirmo prædicere poterunt? *Ulterius* fatentur ipsimet Astrologi ad Divinationem suam exactam requiri cognitionem motûs cælestis, ita ut si vel in uno gradu erraveris, actum sit. Constat autem antiquos, verum cæli motum ignorâsse, cùm posteriores longè alium deprehenderint, & plures etiam motus quàm ipsi. Quid ergo fidei tribuemus illis, & quid auctoritatis? & Hevelius innumeros errores circa dispositionem stellarum in sphæra ostendit. Sed forsan ad novos Astrologos confugies quibus melius est, & numerus Cælorum & motus perspectus? At hi non nisi ex antiquorum scriptis, sua probant vaticinia, itaque si illorum auctoritatem rejiciamus, nihil novis remanebit Astrologis quod dicant & vaticinentur. Quod si sint aliqui ex recentioribus qui novi aliquid pepererunt, forsan non erit illud tàm firmum quin tandem aliquando à posterioribus etiam error aliquis deprehendatur. Sed fac nullum *in motu Cæli ab ipsis reperto* deprehendi posse; tamen propter longissimas, difficillimas, & quasi innumerabiles computationes quas requirunt ad divinationem suam Astrologi, facilè error aliquis continget, ac proinde tota vaticinatio irrita erit. Illud insuper magnum habet momentum contra Astrologos, quod pleraque ex proprietate hominum vel animalium aut aliarum rerum, quarum nomina planetis aut 12. Zodiaci signis, vel aliis astris tribuuntur, suas colligant vaticinationes; Ut quia in piscibus natus, piscator futurus sit,

quia

quia in Leone fortis, & aliorum Princeps, quæ est hæc tam admirabilis vanitas? an non omnia stellarum nomina ad libitum hominum, ipsis stellis tributa fuêre? an non eorum loco quævis alia nomina illis attribui potuissent, & quod uni datum est, non ne etiam alteri dari potuisset? Cur ergò ex nominibus proprietatem & naturam earum rerum, quibus primùm imposita fuêre, & unde ad stellas translata; colligis? An una cum nominibus virtus etiam transferri, & indi potest? An mutando nomina, virtus mutari; & auferendo, potest auferri? & priusquàm ab hominibus nomina sortirentur sua, virtutem nullam saltem ex eis quas ex nominibus colligis habuisse dicis? Esse autem stellis nomina nòn à natura posita, sed ab hominibus ad libitum indita constat inter omnes, & ex sequentibus versibus, vulgò tritis colligitur.

Communi ne voce rei generalis aberret
Quæ modo sunt stellis nomina fecit homo.

Et ex illo Vergilij in primo Georgicorum.

Navita tùm Stellis numeros & nomina fecit
Plejades, Hyades claramque Lycaonis Arcton.

Et cum hæc & alia nomina à nautis & aliis hominibus indoctis stellis inposita fuerunt, non poterunt dicere Astrologi, naturæ stellarum ea conformia fuisse, quandoquidem primi illi impositores naturam earum non cognovêre, neque in impositione respexêre. Porrò non minus ex dominio planetarum quàm ex nominibus refelli possunt Astrologi. Tu (inquiunt) tali planeta dominante natus es, habebis ergo talem eventum, unde hoc planetarum dominium, aut quis illos mihi dominos constituit? Et quòmodo tàm longè absentes, utpote frequenter in opposita cæli parte existentes, mihi imperare possunt? Quam quæso virtutem per interpositam terræ molem ad me transmittent? Et siquidem transmittere pos-

sunt per se illam transmittent, an forsan internuntio Mercurio? Et si ipse Mercurius ad ea gubernacula sedebit, cui alteri nuncio illam virtutem deferendam committet? Illud etiam scire velim, cur tanta sit inter illos vicissitudo Magistratûs ut hâc horâ unus, aliâ mox alius gubernet? Cur non idem diutius gubernat? & quis illum potestate suâ, & consulatu privat? aut si nemo privat, si nemo ipsi potestatem ac naturalem virtutem agendi aufert, nemo illi de novo tribuit, cur non eum vel semper dominari, vel nunquam dominari dicis? Nugæ ergo sunt, figmenta sunt, plena erroris & vanitatis, tàm ea quæ de planetarum dominio dicunt Astrologi, quàm quæ ex dominio prædicunt. Neque enim magis dominantur nobis planetæ, quàm nos illis. Imò si alterutrum dicendum est, potius nos illis dominari debemus, quàm illi nobis cùm nos ratione utamur & media ad finem congruentia cognoscamus, & propterea ipsos in usum nostrum ac ministerium à DEO creatos esse didicerimus, Appelletur sanè hæc hora Saturni, appelletur alia Jovis, alia alterius planetæ, sicut & dies ab eis cognominantur, facilè hoc permittam, ut autem mihi dominentur, non credam, non permittam. Nullus Astrologorum in servitutem me rediget quem Christus libertate donare non est dedignatus.

Possemus Astrologorum vanitatem etiam à Gregorij, Augustini & plurium Patrum testimonio Sanctorum & Conciliorum & Pontificum auctoritate confutare sed brevitatis causâ iis omissis unum tantum aut alterum Sacræ Scripturæ locum producam. Atque inprimis ad hanc rem facit pulcherrimus & accommodatissimus ille, in quo idolorum in futuris annunciandis falsitatem & imbecillitatem Spiritus Sanctus per Isaiam Prophetam his verbis ridet. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos.* Quibus verbis

clarissimè

clarissimè significatur, idola atque adeò diabolos, per idola loquentes, futura annunciare non posse. *Quomodo ergo Astrologi possunt annunciare*, cùm tamen ex stellis futura annunciare possent, si ullo modò Astrologi id facere possunt multò enim doctiores Astrologis sunt & multò meliùs naturam omnium Stellarum tenent, quàm ipsi. Quod si autem S. Scripturâ teste ipsi hoc facere non possunt, quomodo Astrologi id præstabunt? Si id se præstituros polliceantur non eis credemus, cùm ex dicto S. Scripturæ loco clarè colligamus futurorum scientiam, DEUM sibi soli reservâsse, neque ullum ea nisi ipso revelante, cognoscere posse. Qua de causa etiam Christus ad discipulos, ait. *Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Meritò ergo his Apostoli verbis reprehenduntur Astrologi. *Dies observatis, & menses & tempora & annos, timeo vos &c.*

Meritò Moyses jussu DEI populum Israël his verbis præmonet. *Ne fortè elevatis oculis ad cœlum videas solem & lunam & omnia astra DEI, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creavit Dominus DEUS tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt.* Qui enim intelliget in ministerium hominum factas esse stellas non timebit ne fortè sibi adversentur, & nescio quæ mala minentur, aut ad quidvis impellere possint, atque adeò non quæret occasionem eas placandi sacrificiis neque adorabit aut honorabit eas.

CAPUT VI.

Utrum Astrologia periculosa sit?

PEriculosissimam esse vel ex eo colligi potest, quòd ut supra dictum est, diabolus plerumquè Astrologorum se misceat divinationibus, sæpè etiam pactum non solum implicitum, (quod ple-

plerumquè fit) ſed etiam explicitum cum eis habeat, propter quod eos graviſſimam DEI offenſionem incurrere, nullum eſt dubium.

Deinde, licet nihil inimicus homo, cùm eis negotij haberet, conſtat tamen eos peccati mortalis crimine ſe obſtringere quandoquidem contra tam gravem & ſeveram prohibitionem Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Summorum Pontificum, & contra monita tot Sanctiſſimorum Patrum Aſtrologiæ operam navent.

Præterea graves ſunt in eos pœnæ corporis conſtitutæ, quandoquidem Epiſcopis præcipitur à Concilio Tridentino ut graviter in eos animadvertant. Et Sixtus v. in bulla contra Aſtrologos edita, ſtatuit, ut cum eis tanquam cum hæreticis procedatur atque adeo ut comburantur & omnibus bonis temporalibus priventur.

Ulterius, ſunt maximæ in Aſtrologia difficultates quæ totum hominem, & ætatem requirunt, & ita rapiunt & quaſi à ſenſibus abſtrahunt, ut non ſolum ad rem familiarem, & propria negotia nihil attendere poſſit, ſed nec ad cultum Divinum & ad propriam ſalutem. Hinc fit ut rarò Divinis rebus vacent, & ſi aliquando vacant, mente tamen inter ſtellas vagentur, ut de ſuis rebus cogitent.

Ulterius, ſæpè vanâ ſpe, aut timore exagitantur, propter ea quæ ſtellas ſibi promittere aut minari putant, ſæpè & permittente DEO ac puniente, in ea pericula incidunt quæ fugere ſolent.

Inſuper, paulatim in eis minuitur fides & introducitur opinio fatalis neceſſitatis, ut tandem Divinam providentiam ac hominis libertatem negent, vel etiam omnino Athei fiant, aut ſi Chriſtiani & Catholici maneant, plus tamen ſpei ac fiduciæ in aſtris ſuis collocent, quàm in DEO poſitam habeant & in orationibus, ac cæteris rebus ſacris.

Ad ex-

Ad extremum, multos sæpè fallunt, & inani spe promissorum lactant, multis calcar ad seditionem addunt, cùm mutationem imperiorum prædicunt, in multa deniquè se & alios sæpè pericula conjiciunt, ut meritò de illis divus Augustinus quodam in loco sic statuat. *Qui hæc observat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat Christianam fidem & Baptismum prævaricat.* Hinc etiam sapienter Alexandrini, qui olim Suida teste, decrevêre, ut esset tributum stultorum quod Alexandriæ pendebant Astrologi, eò quòd à stultis consulerentur. Quòd verò non solùm stultum sit ut Alexandrini putabant, eos consulere & Divinationem eorum, seu potiùs nugas & fallacias audire, sed etiam periculosum, id indè patet quòd pleraquè ex jam enumeratis etiam in ipsos redundent, & conveniant. Deinde qui eos audiunt vel consulunt, aut credunt eis aut non? Si credunt, sæpè magna aggredientur facinora, quæ si Astrologum nunquam audissent, aggressi non fuissent. Novi ego & Christiani officij causâ quendam ad furcam comitatus sum, qui eâ solâ de Causâ dicebat se rebus alienis manum attulisse, quòd se suspendendum ex prognosticis intellexisset. Si enim suspendi debebam, putabam etiam furari debere, in eo etiam loco non nisi fures suspendi solebant. Erat alius qui se ad maximam dignitatem ascensurum ex Astrologo intellexerat, rem cordi habebat, tempus expectabat, tandem conspirationem contra Principem suum molitur & deprehensus jure occiditur. De paticularibus plura non afferam. Quæ publica pericula nasci possint, videamus. Si Astrologus mutationem imperiorum prædicet idque ab aliis credatur, non ne & subditos ad rebellionem, & Reges ipsos ad mutuam cædem invitabit. Si religionum mutationem? non ne multorum constantiam tentabit, & hæreticis faces seditionis administrabit? Si victoriam certam permittat, non ne & se, & totum

exercitum in periculum adducet? Verum esse quod dico nuper exemplo suo magnus quidam, Franciscus Functinus ut sibi videbatur, Astrologus docuit, nam cùm ex malo Theologo pejor Astrologus evasisset, & nescio ex quibus stellis animadvertisset victoriam à parte hæreticorum staturam quæ in inferiore Germania, contra fidem, & Regem suum arma sumpserant, ad eorundem castra se contulit, & unà cum illis miserè trucidatus fuit, justas suæ levitatis ac perfidiæ pœnas luens.

Quod si non nulli qui Astrologorum judicia audiunt ipsis non credant (quo pacto multi excusationem quærunt) faciamus ita esse, non tamen à periculo immunes erunt. Nam successu temporis, datâ occasione & accedente diaboli fraude incipient credere, & se in pericula conjicere. Ut exempli gratia. Audiat aliquis sibi in aquis moriendum esse non hoc credat, immo etiam Astrologum hoc sibi vaticinantem rideat. Si tamen successu temporis multas patiatur persecutiones & tribulationes, tum ad priorem vaticinationem animum advertet, suspicari incipiet, dubitare, num fuerit vera an non? adhibebit diabolus faces & tristitia ac mærore obrutum tentabit, ac veram fuisse persuadebit, credet, ad aquas accurret, & in hæc verba prorumpet. Heu quid diutius vivo, si fata nos vocant, fatis concedamus, si submergi debeo, & in aquis interire, submergar modò, & ab omnibus me tribulationibus & ærumnis liberavero. En aqua, en occasio, quid dubitas? & in aquam dat se præcipitem, ac miserè moritur. Qui certè casus nunquam eventurus fuisset, si Astrologum nunquam audivisset. Audiet alius judicium Astrologi de proximo, ut quis sit ad venerem, furtum, aut homicidium propensus. Quoties illum videbit toties hæc prognostica menti occurrent, et si committetur unum ex prædictis criminibus, tu hunc

perpe-

perpetrâsse judicabis, & innocentis famæ, magnam injuriæ notam inures. Quæ cùm ita sint, rectè ac meritissimo jure omnis populus & sexus à congressu, & colloquio Astrologorum illis ipsis verbis avertitur ac prohibetur, quibus DEUS olim populum Israel ab Ariolis & magis, cum in Levitico dicit. *Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos*, quandoquidem, non minus hic, quàm ibi potest imminere periculi. Rectè Sanctissimi Patres eos avocant & absterrent. Rectè Sacra Concilia & summi Pontifices etiam pœnis propositis eos arcendos judicârunt. Puto abundè præstitum quod supra me facturum promisi, ut scilicet ostenderem Astrologos nullam scientiam de futuris contingentibus, quæ quidem vitam & mores hominum concernunt, habere, sed meram vanitatem & fallaciam, eamque cum multis periculis convictam. Restat igitur nunc ut reliquum institutum nostrum prosequamur.

CAPUT VII.

Utrum planetæ habeant aliquam virtutem, quâ agant in hæc inferiora quidve ex eis prædicere possimus & quàm certò?

HAbere stellas omnes & præcipuè planetas virtutem aliquam operandi, nemo unquam negavit, nemo etiam sanæ mentis quin illâ virtute in hæc inferiora agere possint & re ipsâ agant, assentiuntur enim omnes Aristoteli qui in lib. Meteor. id affirmat. Agunt autem stellæ tanquam causæ universales, concurrentes variè, ad varios effectus, pro varia dispositione, materiæ, idque tam in visceribus terræ, producendo mineras, & reliqua quæ ibi nascuntur quàm in aëre & superficie terræ. Item agunt vel lumine solo ut aliqui volunt, vel ut rectiùs alii, virtute seu qualitate distinctâ quàm Philosophi influentiam appellant.

Quid autem determinatè operentur & qualem virtutem, & quantam habeant, quando, quomodo, ubi & cui eam communicent, id sensibus nostris obscurum est, non ulla certa experimenta habemus, nisi forsan de sole & Luna, quorum effectus ut majores, crebriores, & notiores sunt, ita & virtus operandi manifestior. De reliquis autem stellis omnia dubia & incerta, eò quòd nulla ratio, nulla auctoritas, nulla clara suppetant experimenta.

De illarum tamen virtute licebit aliquid suspicari & aliquid etiam pronunciare si modò non spectent ad vitam & mores hominum, & ad ea quæ concernunt liberam eius voluntatem, sed quæ agriculturam, medicinam & aëris mutationem. Neque enim ullum est hac in re periculum, licet neque satis magna certitudo, ejusmodi tamen quam multi accepτent, & scire velint vel ad conficienda Calendaria vel ad intelligenda & judicanda quæ sunt ab aliis conscripta, vel certè ut præter cæteros aliquid amplius scire videantur. De his ergò omnibus tractabimus, atque adeò de tota Astrologia vera & correcta, quæ fines præscriptos jamque à nobis positos non egreditur. Sic fiet ut qui hæc nostra habeat, alios libros de Astrologia non habeat opus requirere; qui tenet, totam Astrologiam teneat ac possideat, sibiquè Astrologi nomen rectiùs quàm vani ac fallaces divinatores usurpare possit.

CAPUT VIII.

De signis seu Characteribus, deque nominibus, proprietatibus, & accidentibus planetarum.

Stellarum duo sunt genera, quædam quæ semper eundem certum ac stabilem cursum tenent & semper idem punctum meridiani transeunt, & hæ omnes sunt in firmamento & dicuntur

tur fixæ ac inerrantes. Et quæ ex eis distinctè videri possunt solùm sunt 10. 22. non dubium tamen ullum, quin multò plures sint aliæ quæ effugiunt aciem oculorum nostrorum. Aliæ sunt quæ non semper idem meridiani circuli punctum transeunt nec easdem conversiones habent eosdemquè circulos describunt, sed modò hâc modò aliâ viâ quasi vagabundè procedunt, quâ de causâ errantes & planetæ dictæ sunt, atque hujus generis sunt 7. notiores, quæ propria sortitæ sunt nomina videlicet, *Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna.* Hæ omnes sub obtutus nostros cadunt, omnes propriis orbibus infixæ sunt, & motu proprio ab occidente in orientem moventur, omnes præter motum primi mobilis, quo quotidie ab Oriente versùs Occidentem rapiuntur, plures alios motus extrinsecos habent, unicus Sol semper in Ecliptica seu media Zodiaci via manet, cæteræ autem citra & ultra spatio sex graduum digredi possunt. Hæ 7. stellæ majorem quàm reliquæ virtutem habent, magisque & manifestiùs ad horum inferiorum transmutationem, productionem & conservationem concurrunt. Ex quo factum est, ut plura de eorum natura & virtute scripserint auctores, quàm erat necesse, minusquè certa & probata quàm conveniebat. Quia tamen communia & usitata sunt, & sine periculo, ad medicinam, agriculturam & aëris mutationem referuntur, ordine omnia subjiciemus, figuras, nomina, potestates, & cætera, quæ de illis communiter dici solent.

♄. Saturnus, qui & Phænon dicitur, est colore quasi plumbeo, & naturâ suâ valdè frigidus, mediocriter siccus, dicitur ab Astrologis Melancholicus, terreus, masculinus, diurnus, quas voces alibi exponimus, malignus, inimicus naturæ humanæ, infortunatus. Orientalis, addit humidum & frigidum: Occidentalis siccum. Est dominus Capricorni, ubi habet

habet principale domicilium, ſecundarium in aquario, regnat in Libra, deponit in Ariete, dominatur melancholiæ, ſpleni, oſſibus, ſenectuti, autumno, plumbo, rebus denſis, ſapori acido, colori plumbeo, morbis frigidis & ſiccis, ut lepræ, morpheæ, elephantiaſi, hydropiſi, & aliis qui ex defluxu humorum oriuntur, veluti cancro, herniæ &c.

Ipſius metallum eſt plumbum; ipſius color, croceus & ruber, ipſius aſcenſio in 2. gradu libræ. Eſt amicus Jup. Sol, Luna, inimicus autem Mars & Venus. In aëris conſtitutione, ſi ſolus ſit diſpoſitionis dominus, efficit maximum frigus, glaciem, inſpiſſationem nebularum & nubium, unde obſcuritas, nives, ventorum flatus, tempeſtas maris fructuum detrimenta, ortus minutorum reptilium veluti locuſtarum, vermium, ranarum. Continet ſtella magnitudinem Saturni totius terræ, juxta veterum doctrinam ut unâ cum aqua globum unum, efficit, $91\frac{1}{8}$. vicibus. Orbis ejus in craſſitie continet ſemidiametros terræ $8234\frac{1}{0}$. vel milliaria $29474573\frac{19}{22}$. Circuitus ſeu ambitus ejus ſecundùm ſuperficiem convexam continet milliaria 508781250. Diſtantia convexæ ejus ſuperficiei continet ſemidiametros terræ $22612\frac{1}{2}$. vel milliaria $80942471\frac{13}{22}$. Conficit ſuum curſum annis 30. ſingulis diebus peragrans in Zodiaco minuta quaſi duo, & 35. tertia. (Utimur in hoc computo mill. Italicis.

♃ Jupiter, qui & Phaëton dicitur, eſt colore claro, lucido, argenteo, naturæ temperatæ, mediocriter humidus & calidus, magis tamen calefaciens quàm humectans. Dicitur Sangvineus, aëreus, maſculinus, diurnus, benignus, amicus rerum creatarum, magis fortunatus quàm infortunatus. Orientalis addit calorem & humorem tempori, Occidentalis humorem tantùm. Domus ejus principalis eſt in Sagittario, ſecundaria in Pi-

in Piscibus regnum & vires habet majores in cancro, deponit in Capricorno. Dominatur Sangvini, spiritui, ætati mediæ, pulmoni, costis, apoplexiæ, pleuritidi, anginæ, spasmo, & morbis ex ventositate natis, suavi sapori, colori rubro. Ipsius metallum est stannum, ipsius color, viridis & flavus, ipsius ascensio in 15. gradu Cancri, est amicus Sat. Sol. Venus Luna, inimicus autem Mars, si solus Cœlestis figuræ sit Dominus; significabit veris salubritatem, utilia animalia, bonos fructus, interitum eorum, quæ sunt ex corruptione nata, tranquillitatem maris, ac proinde bonas navigationes quæ omnia proveniunt ex mediocri calore & humore. Continet terræ magnitudinem 95 $\frac{1}{2}$. Crassitudo Orbis ejus continet semid. terræ 5524 $\frac{7}{11}$. Vel milliaria 19775497 $\frac{7}{44}$. Ambitus ejus milliaria 323512500. Distantia ejus à terra semid. terræ 14378 $\frac{1}{8}$. vel Milliaria 51467897 cum $\frac{8}{11}$. conficit suum cursum annis ferè 12. singulis diebus peragrans 4. min. 52. sec. & 15. tertia.

♂ Mars, qui & Pyrois dicitur, est colore rubeo calidus & siccus. Dicitur ut & alii ab Astrologis cholericus, igneus, masculinus, noxius, inimicus naturæ humanæ, infortunatus. Orientalis addit calorem, Occidentalis siccitatem. Domum Principalem habet in Scorpio secundariam in Ariete, regnum habet in Capric. debilitatur in Cancro, præsidet renibus, felli, bili ustæ, & quæ ad eam accedunt, ut pestibus pestilentialibus, & tertianis, inflammationibus, ulceribus, pustulis, ferro, rebus duris, calidis, siccis & acribus valde: colori igneo & rutilo, juventuti extremæ. Ipsius Metallum est cuprum, ipsius color albus & niger, ipsius ascensio in g. 28. Tauri, est amicus veneris, inimicus reliquorum planetarum. Si solus in figuræ Cælestis constitutione dominetur, denotat ob siccitatem

tem detrimentum, ob calorem ægritudines ex febribus. Item calorem aëris, ventos calidos ex quo propter resolutionem corporum, sequentur fulgura, pluviarum raritas; hinc concitatio maris & fluctuum, hinc & ex calore exsiccationes aquarum, fructuum paucitas, vel ex uredine vel ex siccitate, & ariditate, aut ex locustarum vastatione. Continet Mars terram $1\frac{1}{2}$. Crassitudo orbis ejus semidiam terræ $7637\frac{2}{3}$. vel milliaria 27339375. Ambitus ejus 199209375. Distantia ejus à terra semid. terræ $8853\frac{3}{4}$. vel milliaria $31692400\frac{25}{44}$. conficit cursum suum annis ferè duobus omni die peragrans min. 31. sec. 26. cum 38. tertiique.

⊙ Sol, qui & Phæbus hic est calidus & siccus temperatæ naturæ, Diurnus, masculinus, fortunatus ad aspectum, infortunatus ex conjunctione. Dicebant Ethnici fortunam esse in sextili & triangulari aspectu, infortunium autem in Oppositione conjunctione & quadrato Lunæ, in Ariet. Tau. Gem. addit Sol calorem & humorem, unde ver. In Cancro Leo, Virg. calorem & siccitatem, unde æstas. In Lib. Scorp. Sagit. siccitatem & frigus, unde autumnus. In Capr. Aqu. Pisc. frigus & humorem, unde hyems.

Dominatur bili nondum tamen ustæ, ferventi juventuti, cordi, spiritui vitali, oculo dextro, arteriis, & sangvini in eis contento, ori ventriculi, cardiacæ, hyacintho, sapori acri cum quadam suavitate; colori flavo.

Ipsius metallum est aurum, ipsius color melleus, ipsius ascensio in gradu 19. Ariet. amicus Jovi Ven. inimicus Marti, Mercurio, Lunæ.

Ipsius natura est vivifica; accedente eo versus punctum verticale omnia oriuntur, germinant, pubescunt, recedente tabescunt. Est naturæ temperamentum, cœli, temporum, & siderum, rector: quasi mens & animus mundi, lumen

men cunctis ſyderibus fœnerans. Continet magnitudine terram 166 $\frac{3}{8}$. vel diametros ejus 5 $\frac{1}{2}$. Craſſitudo orbis ejus continet diametros terræ 44. cum $\frac{11}{15}$. ſeu milliaria 339102 $\frac{1}{4}$. Ambitus ejus continet milliaria 27361875. Diſtantia ejus convexæ ſuperficiei à terra ſemid. terræ 1216 $\frac{1}{12}$. vel milliaria 4353025 $\frac{25}{44}$. Conficit ſuum curſum ſingulis annis quolibet die conficiens, min. 59. ſec. 8. tert. 19. quarta 37. quinta 19. Sexta 14.

♂ Venus quæ & Phoſphorus, & Lucifer manè, Heſperus veſperi, à vulgo Diana dicitur. Eſt planeta frigidus & humidus temperatè. Dicitur phlegmaticus, aquarius, fœmininus, nocturnus, amicus naturæ humanæ, minùs fortunatus. Orientalis addit calorem & humorem, Occidentalis humorem, Domus ejus principalis eſt in libra, ſecundaria in Cancro, Regnum habet in piſcibus, perdit in Virgine, dominatur amoribus, ſeminibus, procreationi, obfactui, guſtui, vaſis ſeminariis, membris naturalibus, ſangvineisque quæ ſangvinem gignunt dulci tamen pituitâ perfuſum, à qua ſpiritus etiam copioſior naſcitur hepati, tempori verno, & antemeridiano, adoleſcentiæ, ſapori ſuavi, colori lacteo, roſeo, perfuſo.

Ejus metallum eſt cuprum, ejus color viridis, & albus, ipſius aſcenſio in 27. piſcium, inimicus Saturno, amicus reliquorum, calefacit modicum ut Jupiter, humectat ut Luna, ideò lucidior attrahens ex terra vapores exhalatos, ferè ei quæ Jovi conveniunt. Efficit ventos temperatos & humidos, ſerenitatem & pluvias aliquando plures & ex conſequenti fluminum impletiones, abundantiam fructuum. Eſt ſtella Veneris terrâ minor licet admodum magna & lucida appareat. Continet enim terra in ſe Veneris magnitudinem

37 $\frac{1}{27}$. & diameter ejus 3 $\frac{1}{3}$. ejus diametros. Crassitudo Veneris continet semidiametros terræ 953 $\frac{41}{60}$. vel milliaria 3413755 $\frac{59}{66}$. Ambitus ejus continet milliaria 25230375. Distantia ejus convexæ superficiei à terra, semid. terræ, 167 $\frac{2}{3}$. vel milliaria, 600167 $\frac{14}{33}$. conficit suum cursum eodem ferè temporis spatio cum sole singulis diebus progrediens min. 59. sec. 8. tert. 19. Nunquam ultra 44. gradus à sole elongatur, vel ad summum ut alii volunt duobus signis, nec plusquam uno mense potest videri indeficiens.

☿ Mercurius, qui & Stubon dicitur, est mediocris naturæ, dicitur ab aliquibus siccus, & melancholicus cum adustione, ab aliis aëreus & sanguineus, bonis bonus, malis malus, fortunatis fortunatus, & infortunatis infortunatus. Orientalis addit Calorem, Occidentalis siccitatem. Habet domum principalem in Virgine. Secundariam in Gem. in Virg. regnat, in Gem. regnum amittit.

Dominatur mutabilitati aëris, corporum & indirectè animorum. Memoriæ, phantasiæ, linguæ, nervis, gutturi, morbis melancholicis. Ejus metallum est argentum vivum. Ejus color flavus & niger, ejus ascensio in 15. gradu virg. Amicus Satur. Jov. Ven. inimicus Soli Lunæ. Si solus fuerit dispositionis Cælestis, vel temporis Dominus, facilè naturis aliarum stellarum commiscetur, & quia siccus & versatilis, afficit sangvinem & mentes indirectè hominum, efficit morbos & siccas ægritudines. Commovet in aëre fulgura, tonitrua, coruscationes cæli, Ventos, propter festinam in aëre retrogradationem. Ex siccitate apertiones terræ & motus conjicere licet: in ejus ortu aquarum est augmentatio, in occasu diminutio.

Est Mercur. Stella terrâ multò minor. Nam terra continet ejus magnitudinem 21952, & ejus diametros 28. Crassitudo

Or-

Orbis ejus continet ſemidiametros terræ $10\frac{1}{32}$ Vel milliaria $370479\frac{61}{66}$ Ambitus ejus milliaria continet 3772500. Diſtantia ejus à terra $167\frac{2}{3}$. Vel milliaria $600167\frac{7}{22}$. conficit curſum ſuum eodem tempore cum Venere, non digreditur à Sole longiùs ſigno uno, vel ut alii, 20. gradibus, ac proinde raró videtur, & non diu, cùm à radiis ſolis feré ſemper obſcuretur.

☾ Luna quæ & Cynthia dicitur. Eſt planeta frigidus & humidus, aquaticus, nocturnus, fæmineus, maleficus, in ſextili & triangulari aſpectu in conjunctione oppoſitione & quadrato Solis aſpectu phlegmaticus. In primo quadro addit calorem & humorem, in 2do Calorem & ſiccitatem, in 3tio frigus & ſiccitatem, in 4to frigus & humorem. Domus ejus Principalis eſt in Cancro.

Dominatur pituitæ, cerebro, mento, oculo ſiniſtro, ventriculo, membris & facultatibus naturalibus, paralyſi, epilepſiæ, apoplexiæ, colicæ, menſtruis fluxibus, obſtructionibus phlegmaticis, podagræ, tumidis, cryſtallo, argento, hyemi, ætati primæ, nocti, teneritudini, ſapori inſipido, Colori albo, ſomno profundo, rebus frigidis & humidis. Ipſius Metallum eſt argentum, ipſius color ruber, ipſius aſcenſio in 3. gradu Tauri. Amicus Sat. Ven. Jovi, inimicus Mart. Merc. Soli. Lumen ejus humectat corpora, aquam parit. Ipſo creſcente creſcunt humores in arboribus & animalibus cum medulla. Inflatur mare, potiſſimùm cùm eſt in ſignis aëris quæ inflant. Vel aqueis quæ aquam augent.

Decreſcente autem Lunâ & humores & medullæ decreſcunt cum mari. Sed de ejus effectis poſtea plura. Eſt Sydus Lunæ aſpectu quidem magnum propter vicinitatem, magnitudine tamen omnibus Stellis minus. Nam terra ejus magnitudinem continet $39\frac{1}{3}$. Ejus diametros $3\frac{2}{5}$. Craſſitudo Orbis

Lunæ continet Semidiametros terræ $31\frac{7}{15}$ Vel milliaria $109056\frac{9}{11}$. Ambitus ejus convexæ superficiei continet milliaria 1443750. Distantia ejusdem superficiei convexæ à terra continet semidiametros terræ $64\frac{1}{16}$ Vel milliaria $229687\frac{14}{33}$. Distantia autem concavæ ejus superficiei continet semidiametros terræ $33\frac{7}{10}$. Vel milliaria $120630\frac{15}{22}$. Peragrat totum Zodiacum Spatio 27. dierum, 7. horarum, 43. min. 7. Sec. 15. tertiis, 36. quartis, & 55. quintis, quotidie procedens 13. gradibus, 10. min. 35. sec. 1. tert. 15. quartis, 11. quintis, porrò qui nam ex supradictis planetis benigni sint & qui nam maligni aut mediocres sequentibus Versibus explicatur.

Juppiter atq; Venus benè sunt. Sat. Marsq; maligni
Sol & Mercurius cum Luna sunt mediocres

Quales autem habeant qualitates sequentes versus indicant.

Frigidus & siccus Saturn. Jupp. æstuat udus
Mars & Sol sicci fervent, sed Luna Venusq;
Udæ frigescunt, medius Cyllenius esto.

Hæc nobis adducere placuit etsi non ex omni parte certa, tolerari tamen à doctis viris solent, cùm non contineant absurditates uti cætera, quæ omninò omittimus.

CAPUT IX.

De Aspectibus planetarum.

Aspectus planetarum est habitudo quædam, seu inspectio, quam habent ad invicem planetæ in determinata distantia, vel propinquitate in circumferentia circuli Ecclypticæ, in qua suas virtutes & influentias sibi invicem, hisque rebus inferioribus communicant. Sunt autem in universum 5. videlicet Trinus, Quadratus, Sextilis, Oppositio & Conjunctio. Trinus aspe-

aspectus fit cum planeta quidam ab alio distat tertiâ Ecclypticæ parte, hoc est 4. signis, seu 120. gradibus, & notatur triangulo. Quadratus verò, quando quartâ parte, scilicet tribus signis vel 90. gradibus & notatur quadrato. Sextilis quando sextâ parte videlicet duobus signis, aut 60. gradibus & sex radiorum notatur stellulâ. Oppositio verò quando medietate Ecclypticæ ut puta sex signis sive 180. gradibus & tunc per dimetientem opponuntur, & duobus circulis ligatis lineâ notatur. Conjunctio autem fit, quando planeta quispiam sub alio planeta est in eodem signo & gradu & hoc signo significatur circulo ex quo sursum it linea.

In his dictis aspectibus cùm existit Luna cum Sole variis modis omni mense se nobis ostendit. Cùm enim lumen suum à Sole recipiat, & secundùm eam solum medietatem semper ab ipso illuminetur, quâ ipsum respicit, ea autem pars non semper tota à nobis conspici possit, sed magis aut minus, prout ipsa luna magis aut minus à sole recedit, propterea fit ut in diverso situ ac tempore diversam nobis faciem, & illuminationem ostendat. Quinque autem modis præcipuis omni mense lunari apparet. Semel omninò obscura, dum videlicet est in conjunctione cum sole, qui quidem aspectus, vocatur etiam combustio, congressus, côitus. Interlunium, Novilunium, Neomenia συνοδος, privatio, silens, intermestris, intermestrium, ac demum, innovatio Lunæ. Semel verò tota plena, cum in oppositione cum Sole reperitur, atque hic aspectus πανσέληνος, plenilunium, oppositio, diametra radiatio, ac plenitudo Lunæ dicitur.

Bis etiam falcata, seu cornuta, cùm est in sextili aspectu qui aspectus Græcis μηνοειδεις dicitur. Bis semiplena, cùm est in quadrato aspectu, qui Græcis διχότομος ημίτομος, Latinis

dimidia & dividua Luna, dicitur. Bis denique gibbosa, turgida, prætumida, cum videlicet est in trino aspectu, qui Græcis ἀμφικύρτ☉- dicitur. Hi quinque Lunæ aspectus etiam ætate ac lumine significari solent. Conjunctio quidem Luna prima, Sextilis Luna tertia, Quadratus Luna Septima, Trinus Luna undecima, Oppositio Luna decima quinta. Illud porrò circa lunam nota, eam cùm crescit, solem motu sequi, ac vesperi lucere, cum verò decrescit eundem præcedere ac manè lucere, semper autem esse aversis à Sole cornibus, quæ quidem eâ crescente, ortum spectant, eâ decrescente occasum; crescit verò Luna toto tempore quo à conjunctione decurrit ad oppositionem. Decrescit & senescit toto tempore quo ab oppositione ad conjunctionem revertitur.

CAPUT X.

De Ecclipsibus Lunæ & Solis.

ECclypsis Lunæ est, cum ipsa propter interpositionem terræ radiis solis non collustratur. Ecclypsis solis, cum propter intermediam lunam à nobis non conspicitur Sol neque radiis suis nos collustrat & attingit, atque hæc interdiu solùm, illa noctu tantùm fit, utraque autem non nisi in *capite* vel *cauda draconis*: hoc est in duobus punctis, in quibus eccentricus & ecclyptica Solis intersecatur à concentrico circulo æquante Lunæ versus Orientem & Occidentem. Illud enim punctum intersectionis à quo Luna proprio motu recedens, venit in latitudinem seu declinationem septemtrionalem caput draconis appellatur, & *nodus ascendens*, alterum verò à quo Luna motu suo recedens, venit in latitudinem seu declinationem antarcticam, *cauda draconis*, & nodus descendens vocatur. Hæc puncta ex diametro sunt sibi opposita, ac pro-

proinde in eis solis fit Ecclypsis totalis quidem quando præcisè in eis punctis existunt Sol & Luna, centrum quidem solis in uno, & centrum Lunæ in altero, quia tunc tota luna in umbram terræ intermediæ incurrit. Partialis autem quando non præcisè in eis punctis existunt, sed propè, quia tunc non tota Luna in umbram terræ intermediæ incurrit, sed pars tantum ejus, major vel minor, prout magis vel minus à capite & cauda draconis distant luminaria, & quia non in omni plenilunio seu oppositione necesse est ut luna sit in ☊ vel ☋ draconis, aut intra metas Ecclypsi determinatas, hinc est quòd non omni mense fiat ecclypsis, sed in illis tantùm pleniluniis in quibus Luna reperitur in ☊ vel ☋ draconis aut parum ab eis distans intra metas ecclypsi determinatas. Simili etiam modo non in omni conjunctione seu novilunio fit ecclypsis solis, sed tunc demum, cum utrumque luminare, in capite vel cauda draconis existit, aut propè, intra metas, ecclypsi determinatas; tunc enim solùm inter aspectum nostrum & solem interponitur Luna, ita ut nec à nobis Sol videri, nec lumine suo primario nos illustrare possit.

Est autem multiplex differentia inter Ecclypsim solis & lunæ, & prima quidem quòd illa in conjunctione, hæc in oppositione contingat. 2. Illa ex interpositu Lunæ inter solem & oculos nostros, hæc ex interpositu terræ inter Solem & Lunam. 3. Illa non privat solem suo lumine, sed nos tantùm ipsius lumine privat, hæc autem verè ipsam lunam lumine privat. 4. Illa plerumque partialis, hæc plerumque totalis. 5. Illa licet sit aliquando totalis, nunquam tamen est universalis, & nullam moram habet, nunquam enim totum corpus solis omnibus globi terræ & aquæ partibus, in quibus ei contingit ecclypsari naturaliter apparet ecclypsis, sed alicui tantùm parti, idque propter aspectûs varietatem, nunquam etiam

mora-

moratur in ecclypsi, sed in instanti ab ea incipit liberari, hæc autem moram habere potest, & semper est universalis, dum enim lumine privata reperitur, nullam mundi partem illuminare potest, licet non tanto tempore duret, ut ab omnibus mundi partibus ecclypsata videri possit. 6. Ulteriùs differunt quòd in omnibus terræ partibus æqualis portio Lunæ ecclipsata videatur; solis autem non ab omnibus æqualis portio videatur ecclypsata, sed major in uno climate quàm in alio. 7. quòd ecclypsis lunæ apud omnes terræ partes æquali tempore duret non autem solis. 8. Quòd luna ex Orientali sui corporis parte semper incipiat obscurari, quâ scilicet umbram ingreditur, ab eaque egreditur, contra verò sol ab occidentali sui corporis parte. 9. quòd ecclypsis Lunæ noctu fiat, solis autem interdiu demùmque ecclypses Lunæ diutiùs durent quàm solis. Porro de prognosticis, ecclypsium tam solis, quàm lunæ multa Proclus, multa etiam alii tàm Recentes quàm veteres, & pro diversis quidem decanis signorum diversos colligunt eventus, qui non solùm spectent ad res naturales, verùm etiam qui ad mores, & libertatem hominis, veluti, proditiones, captivitates, obsidiones, direptiones ædium, Sacrorum profanationes, sacerdotum dissensiones, legum contemptum, lites, cædes, exilia, regum interitum, tyrannidem, bella, & similia sexcenta alia monstra, quæ omnia sunt figmenta, & vanissima Astrologorum inventa, quæ non magis portenduntur & prævidentur ex ecclypsibus quam alia quæ ex themate cœli ac horoscopo portendi ac prævideri nugantur, quæ supra ostendimus prævideri omninò non posse; neque sine magno periculo in eis prævidendis hominem occupari posse. Eadem enim planè est hic, quæ ibi ratio, eadem incertitudo, eadem vanitas & fallacia, idem periculum. Quod ad prævisionem famis, sterilitatis, ventorum,

rum,

rum, morborum, siccitatis, pluviarum, fertilitatis fructuum, fulgura, tonitrua, & similes res naturales attinet: quæ à libera hominis voluntate non dependent, non quidem est idem periculum, sed tamen eadem ferè incertitudo, eadem vanitas & fallacia. Nihil enim horum ratione probari potest, nihil auctoritate fide dignâ, nihil denique experientiâ. Ac de duobus quidem primis non est dubium, neque enim ipsimet Astrologi, rationem vel auctoritatem afferunt, vel urgent, de tertio solo potest esse dubium, hoc est de experientia quam valdè urgent & efferunt Astrologi. Sed nullam esse nullam omnino haberi posse, facilè ex iis quæ modo dicemus intelligetur. Dicunt Astrologi inter cætera, si Ecclypsis Lunæ fiat in primis decem gradibus Arietis, eam portendere febres: Si in medio decano graduum Arietis, pestilentiam; Si in ultimo, abortivos partus. Cui doctrinæ obstat inprimis longa experientia, quæ docuit non magis prædictos eventus accidisse, cum Ecclipsis in dictis gradibus evenit, quàm in quibuscunque aliis immo sæpè, cùm planè nulla fuit Ecclypsis, deinde licet aliquando in dicto positu evenirent illi eventus potiùs tamen casu, & propter aliam causam, quæ multiplex esse potest, quàm propter Ecclypsim accidisse censendum est. Quid enim Ecclypsi cum his eventibus? & quo pacto eos significare vel efficere potest? Quis enim eam ad illos effectus significandam instituit? aut quomodo significabit eventurum esse quod eventurum non est, vel certè casu eventurum est? & cur potiùs in his gradibus Arietis, quàm in aliis, eos significabit? Cùm enim Ecclypsis, nihil sit aliud, quàm privatio Luminis in Luna ad modicum tempus, quomodo eos effectus poterit producere? Nunquid tu cum manum vel aliud opacum interponis inter te & lumen candelæ, aliquid simile producis? An non singulis mensibus interlunium est & pau-

latim Luna lumen (saltem ratione nostri) acquirit? & post plenilunium acquisitum rursum paulatim amittit? An non singulis diebus inter nos & lunæ lumen terra interjicitur? An non singulis noctibus etiam lumine solis, terrâ interpositâ privamur? & tamen nullus inde nec mirabilis neque novus & extraordinarius effectus significatur, vel efficitur; multò ergò minùs ex Eclypsi. Possem pluribus aliis rationibus, partim novis, partim ex iis quæ supra diximus, petitis; eandem falsitatem oppugnare & expugnare, & omnibus manifestam reddere, nisi vanum videretur, tantam Astrologorum vanitatem & apertam fallaciam pluribus redarguere acsi aliquid probabilitatis haberet. Nihil ergo Ecclypses, sive Solis sive Lunæ timeamus. Sed peccata quæ nos lumine divinæ gratiæ privant, ex quibus non vani Astrologiæ Divinatores, sed Divini Vates DEO revelante plurima mala eventura prædixerunt ut testatur S. Scriptura.

DISCUSSIO.

Utrum Anni Bissextiles sint infaustiores aliis Annis communibus; Ubi & quid de aliorum temporum observatione sentiendum: ac imprimis de vi & efficacia dierum Criticorum: nec non Annorum Climactericorum: atq; utrum Numeri quà Numeri virtute aliquâ polleant, quâ in effectus qualescunq; influere possint?



On desunt qui ex anno Bissextili, multa infausta & ominentur & expavescant. Nam & Petrus Bungus lib. de Numerorum mysteriis, tit. Binar. testatur: Fœtæ mulieres annum Bissextilem ut ominosum & noxium expa-

expavescunt & execrantur. Et Joannes Gigas in Systemate Geograph. lib. 1. cap. 14. Probl. 11. ait, communem esse vulgi persvasionem, omnia anno Bissextili deteriora evenire, ideoque vulgò prohiberi eo anno pecora educari, arbores plantari, aut inseri &c. Valentinianus certè Imperator cum die Bissextili ad Imperium electus esset, maluit illud in sequentem diem differre, quàm Bissextili, tanquam infausto inire: neque eo die in publicum prodire solitus fuit: ut testatur Ammianus Marcellinus. Et D. Augustinus epist. 119. c. 7. innuit, suis etiam temporibus fuisse, qui annum Bissextilem pro inauspicato haberent, dum ait, esse quosdam qui dicant, *Non planto hoc anno vineam quia Bissextus est.* Hic ut panicus timor, unà cum inani & perniciosa illa persvasione, ex animis illorum, qui ei obnoxii sunt, penitùs aboleatur, juverit imprimis explanare, quid sit annus Bissextilis: Unde & quando initium duxerit; ut inde manifestum evadat, quàm nihil magis ille quàm quivis alius communis annus sit extimescendus. Quæ occasio ansam præbebit, discernendi inter tempora, quænam videlicet absque vanæ superstitionis periculo, & quæ non sine ejusdem superstitionis crimine observari possint: & num quâ vi numeri per se polleant, ad effectus aliquos producendos.

§. 1.

Explicatur occasio instituti anni Bissextilis primò à Cajo Julio Cæsare; ac deinde reservati à Gregorio XIII. summo Pontifice, in reformatione Calendarii.

VAria fuit, estque etiamnum apud varias gentes anni ratio: accuratior fuit ab Ægyptiis instituta, cùm in Astronomiæ scientiâ ipsi præ cæteris excellerent: qui uni anno tribuebant 365.

365. dies: quod tamen anni ſpacium curſui ſolis non ad amuſſim correſpondebat: quinque ſiquidem horæ, & aliquot minuta ſupra erant quotannis, donec ſol ad idem punctum rediret, unde initio anni elapſi ſuo in cæleſti circulo, quem Zodiacum vocant, digreſſus fuerat. Hinc fiebat, ut quarto quovis anno, Annus Ægyptius uno integro penè die ante diem Æquinoctii, vel ſolſtitii debitum abſolveretur; atque annis 40. anteverteret per dies 10. ac annis 1460. per dies 365. Quare elapſis annis cæleſtibus 1460. tranſierant jam anni Ægyptii 1461. Eâdem hâc anni ratione cùm Romani uterentur, ac Cajus Julius Cæſar Dictator Romanus tantum errorem ægrè pateretur, operâ & ſvaſu inſignis Aſtronomi Soſigenis, quem ſecum Alexandriâ ex Ægypto, confecto ſcilicet bello Alexandrino, Romam adduxerat, anni rationem meliori methodo inſtauravit: ita ut uni quidem anno tribueret dies 365. attamen cum ſingulis annis ſupra hos dies ad annum verum ſolarem exactè complendum ſupereſſent horæ fermè ſex, ne cogeretur ſingulis annis aliquot horis, imò & ſucceſſu temporis aliquot diebus tardiùs annum novum inchoare, reſervari juſſit ſingulis annis ſex horas integras, usque in quartum quemlibet annum, donec videlicet quater ſex horæ conficerent horas 24. quæ æquivalent uni diei: atque ita hunc diem ex quatuor annorum quater ſex, aut viginti quatuor horis conflatum, juſſit intercalari, ſive interponi quarto quovis anno, poſt diem 24. Februarii: ita ut bis eo anno diceretur, Sexto Kalendas Martii: unde & ille annus Biſ-ſextus ſive Biſ-ſextilis dictus eſt. Hâc anni Juliani formâ uſa eſt Eccleſia Romana usque ad annum 1582. quo à *Gregorio XIII.* ſummo Pontifice reformatus eſt, & annus *Gregorianus* dictus. Cùm enim numerum hunc dierum 365. & 6. horarum, prout Julius Cæſar ſtatuerat, annus præcisè non contineat, ſed minus 10. min. prim. & 44.

ſec.

ſec. factum eſt, ut annis quibusque 133½. Æquinoctium cæleſte ac verum præcederet una die diem in Kalendario deputatam ipſi Æquinoctio quæ tempore Julii Cæſaris erat dies 25. Martii: ſed anno Chriſti 325. ex obſervatione Alexandrinorum Mathematicorum, erat dies 21. Martii: Itaque Anno 1582. obſervatum eſt ab aſtronomis ſcilicet Tychone aliisque, Æquinoctium cæleſte ante diem 21. Martii, 10. diebus citiùs contingere, ac eo tempore Æquinoctium vernum incidere in 11. circiter diem Martii. Quare ut ob reverentiam Nicæni Concilii, & conſvetudinem populorum retineretur Æquinoctium ad diem 21. Martii, nec diſcreparet amplius notabiliter ab Æquinoctio cæleſti, juſſit *Gregorius XIII.* diem 5. Octobris anni 1582. dici diem 15. decurtato illo anno, dierum 10. intermiſſione: ſervato, ut prius, quarto quovis anno Biſſextili: qui tamen anno 1700. 1800. 1900. omittendus eſſet, ac iterum reſumendus anno 2000. atque ita deinceps, ut quadringentis annis terni dies, quibus in Anno Juliano Æquinoctia anteirent, abſumerentur. Quam anni inſtaurationem per ſuum in terris Vicarium factam, DEUS OPT. MAX. Conditor ipſe temporum, miraculorum calculo ratam habere voluit. Teſtis eſt cruor ille nobilis, qui Neapoli quotannis coram venerando S. Januarii Martyris capite liqueſcens ebullit die 19. Septembris, ſed illa quæ in Kalendario Gregoriano eſt 19. anticipato per decem dies miraculo; perinde ac ſi ſangvis in Romanæ fidei teſtimonium ſemel profuſus, iterum ac ſæpius pro Romani Pontificis auctoritate fundatur. Teſtis eſt & arbuſcula quædam in Svevia, quam in honorem triplicatæ Virginitatis MARIÆ ante partum, in partu, & poſt partum ſemper Virginis, Beata Birgitta nocte Chriſti Domini natalitia in hortulo ſuarum Monialium plantavit, orandoque impetravit, ut ejusdem noctis diſtinctis horarum intervallis fron-

desceret, floreret, ac fructificaret; singulis annis posteà prodigium illud solita renovare, nocte Decembris inter 24. & 25. diem intercedente, Kalendario Gregoriano illo ipso anno 1582. qui primus fuit reparationis ejus, ac deinceps semper est obsecuta. *Joan. Bapt. Ricciolus in Præfat. Almag. novi.* Ex deductâ hactenùs anni Bissextilis origine, luce patet clarius meridianâ, eum undequaque ab hominum beneplacito dependere, neque in quadriennali sua revolutione ullius sideris reciprocationem comitem habere, vi cujus effectum aliquem sive malum, sive bonum producere valeat. Quod si dicas, Saturnum tum ad signum contrariæ naturæ pervenire; dico imprimis id erroneum esse: ac deinde tametsi id ita esset, non tamen quarto tantùm, sed & singulis annis, pro numerationis varietate hoc contingeret, atque ita omnes anni tales essent, quod meritò ab omnibus absurdum judicatur.

§ 2.

Annus Bissextilis non est infaustus ratione numeri, seu periodi quaternariæ. Inducuntur variæ tum in divinis, tum in profanis, numerorum observationes.

SEd Causam hujus infausti ominis ipsi fortassè numero QUATERNARIO, tanquam malè auspicato, adscribes: cùm quarto quovis anno Bissextilis reverti soleat: asseresque numeris vim magnam inesse, negari nec debere, nec posse: nam & dies Critici, quibus morborum constitutiones variari solent, adeoque de illis fieri judicium: & anni Climacterici, quibus vitæ status varias consuevit subire vicissitudines, certis numerorum periodis circumscribuntur. Quin & experientiâ constat, septimo ordine natis certam aliquam virtutem à natura

con-

conceſſam, ad affectus aliquos inuſitatos producendos. Sed & Doctiſſimi Machaones medicamenta certis numeris determinata, uti pilulas numero impari, ternas radices, ternave folia contra febrim tertianam, & quaterna contra quartanam: aliaque aliis numeris definita contra alias affectiones offerre ſolent. Adde quod & in rebus ſacris à viris religioſiſſimis numerorum ratio haberi ſoleat; neque fruſtra DEUS omnia in numero, pondere, & menſura feciſſe videri debeat: cùm & in ſacris literis referti ſint numeri multis arcanis, & paſſim in divinis ſcripturis pro ſacratiſſimis habeantur: adſtipulante etiam Origine cap. 3. Philogaliæ, dum ait: *Quoniam ſinguli numeri in numerorum ſuo loco vim quandam habent in rebus, quâ uſus eſt univerſorum opifex ad productionem partim univerſi, partim ſpeciei ſingulorum, attendendum eſt, & veſtigandum è ſcripturis, quæ ad illos, & illorum ſingulos pertinent.* Ut omittatur Pythagoras Philoſophus, qui univerſa è numeris conſtare aſſerere non dubitavit. Porrò inter numeros par imprimis mali, impar è contra auſpicatiſſimi habetur ominis, juxta illud Virg. Ecl. 8. *Numero DEUS impare gaudet.* Sic à Sacerdotibus etiam Chriſtiano-Catholicis obſervari conſuevit, ut in ſacro Miſſæ officio vel una, vel tres, vel quinque, vel ſeptem, numero videlicet impari, Collectæ dicantur. Sanctus Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis Sapientiâ, religione & ſanctimonia clariſſimus, qui nil niſi ſummo conſilio ac ratione agebat, imparem numerum tanti fecit, ut cùm in ſua Diœceſi de conſtructione Eccleſiarum leges ſanciret, conſtituerit, ut Eccleſiæ ſive unam tantùm, ſive tres, ſive quinque, ut dicunt, naves crucis inſtar haberent: à fronte tot oſtia, quot naves: in navibus impares eſſent feneſtræ; in majoribus Eccleſiis, lampadario in longitudinem ducto, ſeptem vel tredecim lampades affigerentur: in minoribus tres, vel quin-

quinque, Cathedrales Ecclesiæ septem vel ad minimum quinque campanas haberent: Collegiatæ, tres; Ad altare majus tribus gradibus ascenderetur; ubi autem pro Ecclesiæ altarisque amplitudine gradus plures esse possent, ibi quinque extrui liceret. Gradus ad capellæ majoris ascensum unus, aut tres, aut quinque ponerentur; Ad Ecclesiæ pavimentum tribus, aut quinque gradibus ascenderetur, quod si Ecclesia in loco editiori esset constructa, & pluribus gradibus opus esset, collocarentur quidem tot gradus, quot ad ascendendi usum commoditatemque forent necessarii, hâc tamen observatâ lege, ut numero essent impares, & septimo, vel quinto, tertiove quoque gradu planum fieret: nam fieri agunt Architecti, ut recto in templum pede ingrediamur, quam quidem rem ad religionem facere arbitrantur: ut ait Leo Bapt. Albertus, de lineamentis c. 13. *Et Micrologus de Eccles. obser. cap. 14. ait: Neque in dispensatione signorum super oblationem imparis numeri virtus neglecta, cùm unam, vel tres, vel etiam quinque cruces faciant, & hoc utique non sine certi causa mysterii.* Et meritò quidem impar numerus in Ecclesiasticis officiis frequentatur: nunquam enim in duo æqualia, unitate impediente, secatur, nec DEUS vult divisionem Ecclesiæ. Addunt Pythagoræi, numeros impares ad omnia esse vehementiores. Sic constat numerum ternarium, qui inter omnes impares numeros primus & præcipuus est, apud veteres summa in observatione fuisse. De hoc ita Peripateticorum Princeps *lib. 1. de cælo & mundo: A natura quasi legibus acceptis, & in Deorum sacrificiis celebrandis hoc uti numero solemus.* Et Nicomachus: Ter libant, & ter sacrificant qui vota sua petunt à DEO consummari. Unde hoc numero Diis superis litare solebant. Hinc Virg. Georg. libr. 4. de sacrificiis Oceani:

Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam;
Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.

Et Theocritus Idyll. 2.

Ter libo ter & hæc pronuncio mystica verba.

Valerius Flaccus in Argonauticis libr. 1.

Ipse ter æquoreo libans Charchesia Patri.

Et oracula Apollinis.

Terna quidem cælestibus hostia, & ipsa
Candida mactanda est, terna & terrestribus, atq;
Atra eadem,

Aratus.

Forma sacrificii perfecti prisca canistro
Tres panes offerre jubet.

Et trita est Pythagoræ sententia: Superis impari numero, Inferis pari sacrificandum. Hinc & Ægyptii, & Thales Milesius, ut est apud Josephum Moletium de correctione Kalendarii lib. 1. c. 4. & Laertium de Vitis Philosophor. libr. 1. Annum constare voluerunt trecentis sexaginta quinque diebus; id nimirum hortante observatione imparis numeri, quem Pythagoras monuit, præponendum esse in omnibus. Unde & propter dies impares, Superis Januarius fuit dicatus; & propter pares Februarius, quasi abominosus, diis inferis deputatur: ut voluit Numa Pompilius dum annum post Romulum reformaret: ac deinde etiam Julius Cæsar, teste Macrob. libr. Saturn. c 13. Plinius Nat. hist. libr. 28. c. 4. ait: Terna despuere deprecatione in omni medicina mos fuit. Passim etiam videre est Poëtas in expiationibus numero impari sive ternario usos fuisse. Impar denique numerus omni ævo, apud omnes gentes pro auspicatissimo felicissimoque habitus & observatus fuit: par verò è contra pro infelicissimo, & maximè abominoso: pro quali imprimis habendus videtur QUA-

TERNARIUS, ut puta, qui ex binis binariis constat, sive ex pari numero conflato ex duobus primis paribus, qui maximè infelices & inauspicati existimantur. Binarius enim destructio dicitur unitatis, discordiæ & confusionis elementum, divisionis fons & causa, mortis symbolum, numerus perniciosus, Saturno assignatus, atque inferis sacer: quod ipsum Poëta Maro libr. 6. Æneid. testatur, ubi de sacrificio Inferis facto loquitur his verbis:

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit.

Ac lib. 5 agens de inferiis Anchisæ patri celebratis in Sicilia, canit:

Hic duo ritè mero libans Charchesia Baccho
Fundit humi; duo lacte novo, duo sangvine sacro.

Quare si quid virtutis numeris dandum est, quod hactenus dicta comprobare videntur, quis nescit numerum parem, & imprimis quidem QUATERNARIUM pro longè infelicissimo habendum esse: atque adeo annum *Bissextilem*, quem QUATERNARIA periodus constituit, meritò tanquam malè ominosum atque inauspicatum esse formidandum? Et verò omnibus retrò seculis apud omnes gentes certorum quorundam semper fuit temporum observatio, quæ pro faustis infaustisve habebantur, quod Ægyptiorum imprimis dies nefasti contestantur: aliaque tempora, quæ etiam hodiè à multis observantur: sive illa à numeris, sive ab astris vim suam sortiantur, ab experientia certè hæc populorum observatio stabilita esse videtur. Quidni eadem ergo experientia Annum etiam Bissextilem inter nefastos reponendum comprobârit? Sed ad hæc Resp. per seqq. §§.

§. 3.

Numeris quà numeris nulla inest vis ad effectus aliquos producendos.

Cum

CUm præcipua hujus quæstionis ratio circa vim efficaciamque Numerorum versari videatur, videndum igitur utrum vis aliqua, & virtus Numeris inesse possit. Dico igitur, Numerus, quà Numerus est, nullam sive naturalem, sive supernaturalem vim operandi continet. Ita sentiunt Doctores Catholici omnes, præsertim, qui Numerum nihil reale esse à rebus numeratis distinctum contendunt. Quid enim operetur, quod ipsum solummodò imaginarium est? Sed & ab illis hoc idem admittendum, qui volunt, Numerum esse aliquid reale rebus numeratis superadditum. Fatentur enim, numerum esse quantitatem: quantitas verò per se non est operativa, nisi fortè motus localis, de quo modò non agitur. Quare numerum hunc felicem, alterum infelicem appellare, Ethnicum est, & superstitiosum: neque ullum Pythogoræ, Plinii, Poëtarum, aliorumve Ethnicorum authoritas hic locum habet. Quòd in Christianis sacris etiam apud Catholicos ratio aliqua numerorum habeatur, fit hoc, non quòd credatur, bonitatem aliquam vel malitiam physicam seu ethicam numeris inesse, sed quòd certi numeri certa quædam divina mysteria repræsentent, eorumque in nobis piam recordationem foveant instaurentque. Sic ut ait Micrologus de Eccl. observ. c. 14. *In quinq; crucibus quinq; partitam Domini Passionem: in una, & tribus, unum & trinum DEUM intimant; in cujus numeri mysterio etiam tres partes facit Sacerdos Sacratissimi corporis in Missa &c.* Plura vide apud eundem, & alios Mystagogos.

§. 4.

Dies Critici quinam sint, & unde vim suam efficaciamq; sortiantur?

QUantum ad dies Criticos, quibus morbi à Medicis dijudicari consveverunt, solent ii ab iisdem in triplici statui differen-

rentia: primi generis Critici dies dicuntur, simpliciter tales, ut in quibus crises & meliores, & frequentiores fiunt, qui omnes septenario circuitu definiuntur, suntque 7. 14. 20. 27. 34. 40. In qua computatione non integri dies sumuntur (quamvis id fecerit Archigenes vetus Medicus, cui 21. 28. 35. critici sunt) sed breviores: de quibus videri potest Daniel Sennert. Institut. Medic. lib. 3. part. 3. cap. 11. & 12. Secundi generis Critici dies appellantur Indices, & Contemplabiles: a quibus nempe monstratur crisis futura, seu judicium de morbi statu ferendum: & sunt cujusque septimanæ medii seu quaternarii, ut 4. 11. 17. 24. A nonnullis dicuntur Critici secundarii, seu minus principales: quia in illis fit levis pugna morbi cum natura, & cernuntur initia alterationis materiæ ad bonum vel ad malum. Tertii generis Critici dies vocantur intercidentes, seu intercalares, sive juxta alios provocatorii, in quibus ex accidenti, & contra naturam, vel ob paroxismi & exacerbationis vehementiam, vel ob causam externam natura irritatur, ut ad intempestivam expulsionem sese accingat: vel in quibus ob errorem aliquem crisis differtur, vel ob naturæ infirmitatem anticipat, aut postponit: tales sunt 3. 5. 9. 13. 19. quibus nonnulli addunt 15. & 18. Non ignoro, esse quosdam etiam præcipui inter Medicos nominis, qui totam observationem dierum Criticorum tanquam inanem nullique solido innixam fundamento explodant atque rejiciant. Ita inter reliquos Cornelius Celsus libr. 3. c. 4. *Est* inquit. *de diebus dubitatio: quoniam antiqui potissimùm impares sequebantur, eosq; tanquam tum de ægris judicaretur,* Crisimos *nominabant. Id Asclepiades jure ut vanum repudiavit, neq; in ullo die, quia par imparve esset, his vel majus, vel minus periculum esse dixit. Interdum enim pejores dies impares sunt. Nonnunquam etiam in ipso morbo dierum ratio mutatur, fiuntq; graviores, qui remissiores esse consveverunt:* &

cæte-

cætera, quæ ibi videri possunt. Et tandem concludit: *Verùm in his quidem antiquos, tunc celebres admodùm, Pythagorici numeri fefellerunt; dum hîc quicumq; Medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri.* Verùm enim verò communior Medicorum sententia admittit supra numeratos dies Criticos, cum Hippocrate, qui diuturnâ experientiâ multas insignes observationes, in iis annotavit, uti videre est in libris Epidemiorum: & cum Galeno, qui de hac materia tres libros conscripsit: neque tamen hi dierum Criticorum vim & efficaciam in numeris, ut quia dies pares vel impares sunt, juxta Pythagoræ placita statuerunt: Unde Galenus libr. 3. de diebus decret. cap. 8. ait: *Ipsi dies primariam decernendi vim non habent, sed per accidens aliquid sic evenit*; & post: *Neq; septimi, neq; quarti numerus crisis author est.* Unde autem vim suam efficaciamque dies Critici habeant, res est non minimæ difficultatis, variæque super ea sunt Medicorum opiniones. Vero similior videtur ea sententia, quæ in motum lunæ vim illam derivat. Optimè enim Galenus lib. 2. de diebus decret. cap. 2. inquit: *Hæc inferiora etsi ordinem & artificium admirandum contineant: superantur tamen in his longè à cœlestibus, & omne pulchrum ac ordinatum à superioribus provenit.* Statuitur igitur, quòd quandocunque Luna venit ad quadratum signum Zodiaci, vel oppositum illi, in quo fuit primo die morbi, toties dies aliquis Criticus intelligendus sit: sicuti quando Luna venit ad aspectum sextilem, aut trigonum, ab eodem signo in quo fuit primo morbi die, Indicatorii dies concipiendi sint. Cæterùm Luna non semper ad quadratum venit exactè die septimo, nec semper ad oppositum die 14. sicut nec sextilem semper attingit exactè die 4. aut trigonum undecimo. Tametsi autem in constituendis diebus Criticis vis maxima Lunæ sit, ad hoc tamen illa sola non sufficit: sed simul ad hos concurrit motus & dispo-

ſpoſitio humorum in corpore ægroti; & tandem proxima Criſis cauſa accidit natura ipſa & conſtitutio corporis. Vide Dan. Sennert. l. c.

§ 5.
Temporum ſuperſtitioſæ Obſervationes.

OBſervatio certorum quorundam dierum, tanquam præ aliis fauſtiores infauſtioreſve ſint, vana etiam eſt, & ſuperſtitione non caret. Huic errori obnoxii ſunt qui certis diebus herbas quaſdam colligunt ad certos affectus, ut die veneris: in feſto S. Joannis, ſub punctum meridiei; in feſto S. Stephani minuunt ſangvinem equorum: diem Lunæ tanquam infauſtum ad iter, aut rem aliquam inchoandam, ominantur: aliaque hujusmodi faciunt; in quibus fruſtra cauſas naturales comminiſcuntur, ut vanitati ſuæ fucum faciant. Huc etiam referri poſſunt dies certi qui pro infauſtis habentur, quos vocant Ægyptiacos: illosque Petrus Breslayus lib. 1. Notabilium, cap. 53. ita enumerat: Januarij 1. & 25. Februarij 4. & 26. Martij 1. & 28. Aprilis 10. & 20. Maij 3. & ult. Junij 10. & 17. Julij 13. & 27. Auguſti 1. & 14. Septembris 3. & 21. Octobris 3. & 22. Novembris 5. & 28. Decembris 7. & 22. In horum ſimiliumque dierum obſervatores cadunt illa Doctoris gentium verba ad Gal. 4. *Dies obſervatis & menſes, & tempora & annos, timeo vos, ne fortè ſine cauſa laboraverim in vobis.* In quæ verba Antiſtes Mediolanenſis Ambroſius: *Dies* inquit, *obſervant, qui dicunt; ut puta, craſtino proficiſcendum non eſt, poſt craſtinum enim non debet aliquid inchoari, & ſic ſolent magis decipi. Hi autem colunt menſes, qui curſus Lunæ perſcrutantur, dicentes ut puta, ſeptimâ Lunâ inſtrumenta confici non debent: nonâ Lunâ ſervum, emptum ut puta, domum ducere non oportet; & per hæc faciliùs*

solent adversa provenire. Tempora verò sic observant, cum dicunt: Hodie veris initium est, festivitas est, post cras Vulcania sunt; & talia iterum ajunt, posterum est, domum egredi non licet. Posterum significat adversum, & præposterum quasi elapsâ commoditate serum. Annos sic colunt, cum dicunt, Kalendis Januarii novus est annus: quasi non quotidie anni impleantur: sed ut Jani illius memoriam recolant bifrontis, hac superstitione utuntur, quæ longè debet esse à servis DEI. Si enim DEUS ex toto corde diligatur, ipso propitio, nulla debet esse formido, neque suspicio harum rerum. Prosperè enim potest cedere quicquid simpliciter sub DEI devotione fit. S. August. epist. 119. c. 7. eodem modo culpat eos, qui dicunt: *non proficiscar, quia posterus dies est, aut quia luna sic fertur: vel proficiscar, ut prosperè cedat, quia ita se habet positio siderum. Non agam hoc Mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem; vel agam, quia suscepit mensem.* Et alibi in c. 4. ad Galat. *Plena sunt conventicula nostra hominibus, qui tempora rerum agendarum à Mathematicis accipiunt, jam verò ne aliquid inchoetur aut ædificiorum, aut hujusmodi aliquid operum, diebus, quos Ægyptiacos vocant, sæpe etiam nos monere non dubitant.* Ad hanc etiam diariæ superstitionis tribum spectant ij, qui certis diebus olera scopis tangunt, ne ciniphes, erucæ, vel alia insecta noceant: qui ova, quæ gallinæ pariunt die Parasceves, toto anno asservant, quia credunt ea vim habere ad extingvenda incendia, si in ignem injiciantur; item qui credunt, majorem inesse vim Aquæ benedictæ Dominicis diebus post quatuor tempora, quàm aliis, ad speciales quosdam effectus. Ex modernis etiam Calendariographis sunt non pauci, qui in suis Calendariis certos dies designant, quibus populo persuadere volunt, *Esse bonum migrare in alias ædes: Emere arma ad pugnam: Emere quævis aut vendere: Induere novas vestes: Applicare pueros tyrocinio literarum: Patrimonium inire: Investigare res perditas: Conducere servos: Inire amicitias: Munia in Republ. suscipere: Literarum studia*

dia inchoare, ut deinceps omnia memoriâ retineantur: Ædes ædificare, ne deinde in iis incendium exoriatur: Ludere sine rixis: Mittere tabellarios: Gemmas emere: Experientias facere artium secretiorum: Emere hæreditatem: Inire fœdera, ut sint stabiliora: Dimittere captivos, ne deinceps se vindicent: Emere agros: Ædificare domos, ut diu persistant: Emere domos, ut in iis omnia feliciter eveniant: Venari ita ut nulla fera evadat: Emere animalia quadrupedia, ad hoc ut pingvescant: Vestes novas induere, ad hoc ut in iis omnia faustè succedant: Dare nomen militiæ ad hoc ut optimæ prædæ acquirantur: Solvere debita: Exigere debita. Pecora primitùs ad pascua educere, ne à lupis lædantur: Peregrinari ut domum pacificè redeas: Emere feras: Incipere rixas, aut ansam ad eas quærere; atque innumera his similia somnia & deliramenta, quibus Pseudo-Astrologi isti nobilissimam Mathematices scientiam turpissimè prostituunt, atque infamem reddunt: diceres profectò ea non tam per Astrolabia è cælo, quàm per delirantes anus è colis deducta; neque enim vel ratio ulla, sive ex astris, sive undecumque petita: neque experientia legitimam supradictorum, & similium temporum observationem comprobare potest. Vide, si lubet, de Astrologastrorum istorum deliris somniis Ciruelum p. 3. c. 6. Item Martinum de Arles tract. de Superstitione.

§ 6.

Anni Climacterici qui sunt? Numeri septenarii prærogativa observatio circa vitæ humanæ cursum.

MAjorem fidem & efficaciam obtinent anni Climacterici sic dicti à Græco vocabulo *Climax*, quod est, Scala: tanquam anni scalares, sive scansiles: quòd per eos veluti per scalas aut gradus vita progrediatur: Unde & à quibusdam grada-

gradarii, & decretorii dicuntur. Habentur autem præcipuè tales Septenarii & Novenarii anni: quibus videlicet imprimis vitæ humanæ aut terminus, aut periculum, aut notabilis aliqua vicissitudo evenire solet. Majoris tamen efficaciæ in hoc genere censentur Septenarii. Gellius lib. 3. cap. 10. memorat, Varronem Romanorum omnium scientissimum; lib. de hebdomadibus hæc scripsisse. Pericula quoque vitæ fortunarumque hominum, quæ *Climacteros* Græci appellant. Deinde gravissimos quoque fieri septenarios. Et Plinius lib. 7. c. 49. apertè insinuat hanc scansilem annorum legem. Non eo inficias; esse quosdam viros alioqui graves, & aliis disciplinis excultos, sed in istis rudes, qui annis Climactericis vehementer refragentur, ex eo nempe, quòd vim eorum aut timeant, aut ignorent. Sed velim ego, legissent, aut legerent quæ de annis Climactericis fusè perscripsit Hippolytus Quarinonius Archiater Oenipontanus, non minus religione ac pietate in DEUM insignis, quàm rei Medicæ peritus libro de abominatione mundi: uti & sangvine ac eruditione illustris Henricus Ranzovius Produx Cimbriæ, qui libro de annis Climactericis pro eorum authoritate profert S. Augustinum, S. Ambrosium; Venerabilem Bedam, Platonem, Philonem Judæum, Clementem Alexandrinum, Macrobium, Ciceronem, Senecam, Boëtium; adeo ut omnino indignum videatur, illud pro plebejo commento, aut Astrologica fabula accipere quod spectatissimos Ecclesiæ Patres, & gravissimos Philosophos sui habet patronos. Non meherclè à vulgo, non ab inanibus Astrologastris, sed à veræ ac syncerioris Philosophiæ alumnis prodiit annorum Climactericorum observatio, totaque naturalibus nititur argumentis. Non me latet curiosissimæ lectionis, & multæ eruditionis virum clarissimum Claudium Salmasium librum de annis Climactericis edidisse, in eoque ad-

versus annos Astrologicos potissimùm disceptâsse, quos hîc non probamus: sed contra hebdomaticos annos, quos è naturæ censu esse judicamus, non tantùm nihil evicit, sed ne ullius quidem rationis aciem exeruit, quæ vim aliquam habeat. Ipsi illi qui maximè hîc obstrepunt, posteaquam dixerunt, Climactericos annos ad superstitionem numerorum pertinere nihil habent amplius quod objiciant. At verò respondetur illis, non curari hic numeros, seu naturam DEI imperiis ubique numerosè agentem observari; certum est enim omnia à summo rerum Conditore, in mensurâ & numero & pondere disponi, *Sap. 11.* & rei cuique suos limites, suas periodos esse. Quæritur enim, cur dies naturalis inter viginti quatuor horas conficitur? cur æstus maris tardiùs quotidie tribus horæ quadrantibus cum tribus minutis redeant? An dicemus, DEUM otiosè ternarium numerum affectâsse? Cur partus mulierum novem mensibus fermentatur? Cur certæ aves duodecim semper ova pariunt? Cur smaragdi omnes figurâ dodecaedricâ nascuntur? naturæ hoc opus est, per numeros agentis: DEI lex, ea sic, ut omnia gubernantis; ecquid igitur mirum, si ætas nostra per certorum annorum periodos decurrit? Nonne ipse Hippocrates septem in homine ætates constituit, infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, ætatem virilem, senectutem? Infans est, inquit, homo usque ad annos 7. Puer ad 14. Adolescens ad 21. Juvenis ad 35. Vir ad 49. Veteranus & proximus declinationi ad 56. quod reliqvum est, senex. Vides certè quàm religiosè per septenarios vitæ nostræ textus, summo omnium Medico attestante, decurrat; an superstitiosus DEUS, qui hæc ita sanxit? An & ipsa delirans natura, quæ hæc facit? Parùm dico, si vacat in ipsa naturæ adyta ingredi, licebit spectare miracula septenarii numeri circa hominem perpetuâ veneratione digna. Septimâ hebdomadâ

madâ totus in utero absolvitur homo, juxta Empedoclem, septimo mense movetur ad partum: septimo die vitæ expleto vitalis olim habebatur infans: post bis septem dies visus movetur ad lumen: post septies septem dies, plenè & integrè oculi moveri possunt: post septem menses dentes emergunt: post ter septem menses homo in verba prorumpit: post quater septem menses inambulat: post quinquies septem menses recedit à lacte; Primo septeno annorum incipit ratiocinari: secundo septeno annorum attingit pubertatem: tertio septeno annorum barbescit: quarto septeno annorum assequitur finem incrementi: quinto septeno annorum, vires plenas acquirit: septimo annorum septeno, incipit minui corpore, sed mente roborari: Octavo annorum septeno, valde inclinat: nono annorum septeno deficit: decimo septeno annorum juxta Platonem à civilibus curis removetur. Quæ quidem juxta leges numerandi communes dicta sunto, quas aliqui mirâ vivacitate transgrediuntur.

Cùm igitur ab hominis in utero conceptu usque ad obitum natura per septenarios operetur in homine, quid vetat jam Climactericos tam probè signatos agnoscere?

§. 7.

Annorum Climactericorum vis quæ, & quanta, & unde: & quomodo illis occurrendum?

AT dices, mutationes in humano corpore per hebdomadas fieri non veto: at unde iisdem annis morbi? Ad hoc respondeo imprimis, cùm natura ætate crescente, vires & quasi novam formam acquirat per annos hebdomaticos sive septenarios, in iis grandi nisu eluctatur, adversus impedimenta, & agendo vicissim patitur, morbisque succumbit, aut etiam mor-

ti, si vincatur. Post annos autem ferè 49. quod per septenarios crevit, decrescit idem per septenarios, & fractis viribus faciliùs ægritudines inolescunt. Deinde quemadmodum arbores quædam dum crescunt, articulis innodantur, ac veluti inoculantur, ita sunt flexus ætatis, quibus ad sequentes temporis constitutiones natura se vertit atque inflectit, novum temperamentum acquirit, cujus impressum in se relinquit vestigium, in hoc autem naturæ veluti prægnantis partu, labores subeunt & morbi. Denique ut etiam cœlestem & arcanam non præteream rationem, notandum est, altissimum Planetarum Saturnum facere intra septem annos, quod Luna intra septem dies; atque ut illa per hebdomadas, novasque quadraturas, mutat tempora, cietque crebrò ventos, pluvias, tempestates: ita & Saturnus natura maleficus, inimicus naturæ humanæ, frigidus & siccus, contrarius calori naturali, omnia suis qualitatibus destruens, cum per septennia ferè quartam sui cursûs partem conficit, (totum enim suum cursum spatio 30. annorum absolvit) morbos parit, nosque variis difficultatibus ac molestiis implicat, cum præsertim cardines figuræ Geneseos premit, aut in ascendente existens, aut illi oppositus, ut quadratus: hoc est, si in figurâ cœlesti constitutâ ad tempus Nativitatis, Saturnus locum habuit in ipso horoscopo, quæ est prima domus & angulus Orientis: aut in opposito angulo, quæ est domus Occidentis: aut in domo decima, quæ est angulus medii cœli: aut in domo quarta, quæ est angulus imi cœli. Sæpissimè enim compertum est, multos annis Climactericis Saturno ita stante, aut mortuos, aut vehementer infirmatos fuisse. Henricus Ranzovius supra citatus ingentem catalogum illustrium virorum recenset, qui Climactericis annis extincti sunt. Advertant obsecro ii qui dum subinde mortuos aliquos intelligunt, simul etiam ætatis

 quam

quam vixerunt, notitiam habere possunt: an non circa annum aliquem ex Climactericis vivere desierint, siquidem naturali morte, & non externâ quâdam violentiâ extincti sint: & fatebuntur profectò, rem omninò ita se habere. Sed & suam quisque ætatem jam peractam in examen revocet, eamque in annos Climactericos septenos, & novenos dispescat, atque in memoriam adducat infirmitates quibus per omnem vitam divexatus fuit: deprehendet quidem, omnium illarum insultus circa annorum Climactericorum tempus passum se fuisse. Sunt, non diffiteor, multi, tam valente & firmâ constitutione, ut annorum Climactericorum injuriam aut penitùs reverberent, aut leviter admodum vim illorum persentiscant. Sunt etiam quibus morbi & casus paulò citiùs, aut tardiùs veniant, Planetæ motum expectante naturâ. Sunt quibus malè est in Climactericis Astrologicis, anno scilicet octavo, & qui ab octavo per duodenos numerantur, quales sunt 20. 32. 44. 56. 68. 80. Sunt qui laborant revolutâ in suum primordium Geneseos rotâ, ut annis 12. 24. 36. 48. 60. 72. 84. Sunt qui ipso Climacterico verè affici incipiunt, & tamen vi remediorum unum aut alterum annum trahunt, hærente lateri, ut ille ait, lethali arundine. Sunt qui annos ætatis non aptè numerant, & putant extra Climactericos esse; quod in Climactericos incidit, quod innumeris exemplis demonstrari posset: de quo videri potest Hippolytus Quarinonius cit. Anno igitur aliquo Climacterico imminente, ut, quoad licet humanitùs, spiculum ejus declines, aut saltem mitius sentias, expedit non mutare solum ad spacium notabiliter distans, ubi aërem longè à tuo, cui jam assvevisti, differentem haurire: ac cibo & potu similiter insvetis uti cogaris. Raro enim horum mutatio sine aliqua valetudinis alteratione contingere solet, in iis præcipuè, qui minùs robustæ sunt constitutionis, &

& qui plerumque uni domicilio affixi, habitationem mutare non assveverunt. Juverit etiam corpus de consilio prudentis Medici, competente pharmaco à saburra expurgare: illudque nullis permittere obstructionibus esse obnoxium; & qui sangvinis missioni sive per sectionem venæ, sive per scarificationem assveverunt, eam circa id temporis non omittant. Animi etiam passiones immoderatæ, ut sunt iræ, tristitiæ, &c. non admittantur: corpus neque nimiæ exercitationi, vigiliæ, neque torpescenti otio, aut somno nimio permittatur: neque illud uti calori nimio, ita neque frigori asperiori ac diuturniori exponatur: omnes proinde aëris injuriæ graviores, quoad per negotia licebit, devitentur: ante omnia autem temperantia in cibo & potu, si unquam aliàs tenenda: *In multis enim escis erit infirmitas: Eccles. c. 37. v. 33. &: Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam. ibid. v. 34.*

§ 8.

Anni Climacterici qui maximè censendi?

PORrò inter annos Climactericos imprimis observandus *sexagesimus tertius* ætatis annus: de quo Julius Maternus ait. *Propterea sexagesimus tertius ætatis annus præcipuè videtur periculis insignis, quoniam utriusque (numeri 7. & 9.) multiplicatam, ac invicem obligatam sibi summam perficit.* Novies enim septem, & septies novem 63. efficiunt. De eodem scribit Aulus Gellius lib. 15. c. 7. Observatum in multa hominum memoria, expertumque, senioribus plerisque *sexagesimum tertium* vitæ annum cum periculo, & clade aliqua venire, aut corporis, morbique gravioris, aut vitæ interitûs, aut animi ægritudinis; quo sanè argumento Andracles dicitur ille annus, quòd vitæ substantiam omnem frangat & comminuat. Hinc Cæsar Octa-

vianus

vianus Augustus natalem diem suum festivè celebrari voluit, quòd annum illum *sexagesimum tertium* omnibus senibus periculosissimum evasisset. Obiêrunt hoc ipso anno Climacterico Aristoteles & Virgilius Maro: plures recenset Henric. Ranzovius cit. Censetur & inter maximè formidabiles Climactericos Octogesimus primus; ut qui constat ex 9. in 9. ductis: & ad quem veluti per quasdam scalas paulatim ascenditur: nam unitas ter sumpta ternarium conficit; & ternarius per se multiplicatus, dat novenarium: novenarius autem in se ductus, constituit 81. Dicuntur etiam anni Climacterici alii minores, alii majores: minores sunt hi: 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 46. 63. qui omnes septeni sunt. Majores statuuntur hi. 70. 77. 84. 91. 98. 105. 112. 119. qui componuntur ex septem per 10. per 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. multiplicatis. Magna proinde elucescit in annis Climactericis virtus numeri Septenarii, cui tamen cum Pythagoricis hæc virtus non purè ut numero tali, sed ut dictum, & influxibus siderum, & naturæ, quæ ubique ex DEI ordinatissimo imperio numerosè agit, est adscribenda. Equidem cùm Septenarius numerus ex □, & △ constet, quibus omnia perfectè mensurari possunt, perfectioni ille tribuitur: & in sacris paginis pro sacro habetur, cùm multus in iis ejus sit usus multaque sacratiora arcana eo comprehendantur. Neque mirum videri debet, si & in natura, quæ DEI opus est mirificum, multa arcana eo numero designantur. Unde de eo in rem nostram Marsilius Ficinus nobilis Platonicus in Plat. de Republ. lib. 8. asserit: *Septenarius* multa metitur, per annos quidem mutationes in vita, per dies autem mutationes in morbis majores, per horas verò minores, tum in bonum, tum in malum: quin & Physiognomus singulis humanæ ætatis septenariis, valetudinis argumenta perspicit: Quemadmodum septimo quoque die in ægrotantibus nova

potis-

potissimùm indicia captantur: ita septimo quoque anno quædam accidentia & lineamenta novæ figuræ, novi colores, & gestus nobis suboriuntur.

§ 9.
Numeri Septenarii aliæ mirabiles prærogativæ.

HAbetur & mirabile de *Septenario* experimentum: quòd videlicet filia, quæ septima nata modò nullus intercesserit masculus, miro modo partum adjuvare tradatur. Sic etiam masculus omnis septimus, absque fœmellâ intermediâ natus, vim habere creditur solo attactu, vel verbo curandi strumam, gutturis vitium, quod alii serofulam vocant. Petrus Bungus Bergomas lib. de numerorum myst. ad hoc curationis genus exclamat in hæc verba: *Ecce quod tam diu Chirurgum fatigavit, quod pharmaco curare non potuit, nec ferro, nec caustico consumere, cuique nulla videbatur prodesse medicina, vi numeri Septenarii curatum persanatumque apparuit quandoque. Ecce quod caret sensu, quod vitâ, quod materiâ, quod succo, aut aliqua qualitate, plenum tamen vi medica, plenum energia abdita visum est.* Martinus Delrio Disq. Magic. lib. 1. cap. 3. quæst. 4. Vocat hanc curationem prodigiosam & modò nihil superstitionis accedat, referendam esse ait, inter dona supernaturalia, & gratias divinitùs gratis datas: de quibus S. Paul. 1. Cor. 11. neque enim absimile vero putat, ob DEI honorem, *& mysterii sanctitatem*, & honorem conjugii id à DEO concessum. Ego certè apprimè novi juvenem in integerrima Religione Religiosum, qui cùm septimus esset in ordine natorum fratrum, nullo fœmineo fœtu intercedente, virtute hac sanandi strumas pollebat, sanavitque non paucos, de consensu suorum Superiorum, qui ut Religione,

one, ita & ſcientia erant inſignes; ut tamen omnis mali genii illuſio longiùs abeſſet, ſolitus erat pridianam corporis per jejunium emacerationem, expiationem conſcientiæ, ſacræque Synaxeos ſumptionem, aliaque ſanctiora exercitia præmittere. De myſteriis numeri Septenarii vide Petrum Bungum cit. Item Guilielmum Zenocarum à Scauwenburgo, Binſcorſtii Toparcham. De vita Caroli V. Rom. Imper. lib. 5. Ubi is multa divinitùs magno huic Monarchæ conceſſa oſtendit ſub ſeptenarii numeri prærogativa. Item Georg. Philip. Harldorfferum Delic. Mathem. tom. 2. p. 1. q. 19.

§. 10.

Quæ vana in medicinis numerorum obſervatio?

CÆterùm in aliis effectibus quibuscumque ſi ratio habeatur numerorum tanquam ii quatenus numeri puri ſunt, aliquid in effectum virtutis conferant, id omne meritò de ſuperſtitione ſuſpectum videri debet. Hinc tametſi pilulæ ut plurimùm à Medicis impari numero præſcribantur, non tamen id ita faciunt, ut perſuaſum habeant, non tantam eas vim habituras, ſi eadem quantitas in plures, vel pauciores pari numero diſtribueretur: aliàs ſuperſtitionis notam & noxam non evaderent; uti nec is, qui crederet, non niſi unum Pentaphylli herbæ folium febri quotidianæ, tria tertianæ, quatuor quartanæ mederi: item tribus radicibus plantaginis: ſive tribus foliis Trifolii bituminoſi, aut totidem ejus ſeminibus; ſive Verbenacæ ſupinæ tertio à terra geniculo cum adjacentibus foliis: ſive Heliotropii ſeminis granis tribus, in competente vehiculo ſumptis: expelli tertianam; & iisdem ſumptis quaternario numero, fugari quartanam; quæ ſcribit Dioſcorides in ſuis

ſuis libris Plantarum, quibus & ſimilia multa habet Plinius, aliique, maximè Ethnici ſcriptores: quibus utinam etiam nonnunquam Chriſtiani non ſubſcriberent, dum ſuperſtitionem neſcio quibus fucatis rationibus obtegere nituntur. Ad eandem cenſuram pertinent Aliptæ quidam & Agyrtæ, qui pulverem ex ſerpentibus confectum divendunt, promittuntque tot annos ſecuros ab omnis generis veneno, quot diebus, aut aliis certis intervallis ille intrò ſumptus fuerit. Hùc denique referendi omnes, qui effectus quoſcunque vel ex toto, vel ex parte, ex certo & determinato aliquo numero rerum adhibitarum qualiumcumque dependere exiſtimant: Numerus enim quà numerus nullam ſive naturalem, ſive ſupernaturalem, vim operandi continet, prout ſuperiùs oſtenſum fuit: & multiplici mihi conſtat experientiâ, tam pilulas, quàm alia ſuperiùs enumerata, multaque ejusdem farinæ, ſive pari, ſive quocunque numero ſumpta, eandem ſemper efficaciam obtinuiſſe.

§. 11.

Concluditur, Annum Biſſextilem quovis communi non eſſe infeliciorem.

UT hæc ergo tota diſceptatio eò revertatur, unde ſumpſit exordium, nulla ratio eſt, quæ evincat, Annum Biſſextilem quovis alio anno communi eſſe infauſtiorem; cùm neque ab aſtrorum influxu, neque à quaternariâ ſuâ periodo ullam vim efficaciamque ſive in bonum, ſive in malum ſortiatur: Cùm & inſtitutio anni Biſſextilis, ut initio oſtenſum eſt, tota à libero arbitrio Julii Cæſaris & à Confirmatione per Gregorium XIII. Summum Pontificem hactenus dependeat; potuiſſetque Julius Cæſar anni Biſſextilis uno alterove anno

ante, vel post, initium decernere: sicut & diem alium intercalationis, sive pro Bissextili illo statuere potuisset: multorumque judicio fortasse meliùs, nempe in fine Februarii, qui Romanis erat ultimus mensis anni à Romulo instituti: vel in fine Decembris, cùm is esset postremus mensis anni à Numa Pompilio reformati: Sed placuit Julio Cæsari diem intercalarem post festa Terminalia peracta collocare, quibus Romani DEO Termino sacrificabant, ex eo quòd in ejus tutela fines agrorum esse existimarent, ut auctor est Festus. Et verò juxta instaurationem novi sive Gregoriani Calendarii, cùm, ut supra dictum est, anno 1700. & 1800. & 1900. ac deinceps semper intra quodringentos annos ter annus Bissextilis omittendus sit, sive annus, qui deberet esse Bissextilis, pro communi sit habendus, qui tamen Acatholicis qui Calendarium novum sive Gregorianum respuunt, Bissextiles erunt: ergo & his illi saltem Anni Bissextiles, non verò iis, qui Calendarium Gregorianum admittunt; erunt inauspicati. Adde quod si quæ ratio numerorum, juxta superiùs declarata, habenda foret, Bissextilis Annus potiùs præ reliquis communibus dicendus esset felix & auspicatus: quandoquidem Anno Bissextili accrescit unus dies Mensi Februario ad dies 28. unde jam ille mensis non amplius habet numerum dierum parem, ob quem antiquitùs, tanquam inauspicatus, inferis erat consecratus. Denique sicuti ante Anni Bissextilis institutionem nulli erant per quaternariam periodum infausti anni, ita arbitraria & libera Anni Bissextilis institutio eundem quaternariâ periodo recurrentem, inauspicatum reddere non potuit: quemadmodum hodie etiam apud Gentes, quæ plurimæ sunt, apud quas neque Juliani neque Gregoriani Calendarii usus est, sicuti nulla anni Juliani est notitia, ita nulla ejus formido; neque ullâ solidâ experientiâ ullibi gentium ejus infelicitas est comprobata.

ta. Ex his ergo liquidò constat, vanam esse persvasionem illorum, qui annum *Bissextilem* pro nefasto, abominoso atque inauspicato habent: neque hanc persvasionem crimine carere, nisi ignorantia intercedat.

PROGNOSTICA PERPETUA

Veterum experientiâ comprobata.

JANUARIUS.

BAcchus & alma Ceres patiuntur plurima damna:
Cùm nive non tegitur terra perusta gelu.
Sol ubi Vincenti festo Paulique coruscat:
Frugibus & vino fertilis annus erit.

FEBRUARIUS.

Aspera si non sævit hyems in mense secundo:
Crede mihi, Paschæ tempore frigus erit.
Matthiæ festo si sævit frigoris horror:
Aspera adhuc multo tempore durat hyems.

MARTIUS. APRILIS. MAJUS.

Tum bonus est annus, crescuntque benè omnia: Bacchus
Tunc implet cellas, horrea læta Ceres;
Martius exsiccat cùm terram, humectat Aprilis:
Frigidulumque sequens aëra Majus habet.

JUNIUS.

Cùm calor & pluviæ coëunt æstate frequentes,
Agricolæ tacitâ gaudia mente fovent.

JULIUS.

Implentur variis frumentis horrea, quando est
Aër Jacobi lucidus ante diem.

Augu-

AUGUSTUS.

Alma DEI Genitrix quâ luce assumpta putatur
Promittit Solis suavia vina jubar.

SEPTEMBER.

Principio splendens September, munera Bacchi
Multa dat: Autumnus donaque multa feret.

OCTOBER.

Florida nudatur serò cum frondibus arbor,
Asperior solito Bruma venire solet.

NOVEMBER.

Andreæ festum certò comitatur hyems, si
Adventum differt frigore dura suum.

DECEMBER.

Quando prata virent Natalis tempore CHRISTI,
Tum Paschæ festo sub nive tecta latent.

De quatuor Anni partibus, earumque probabili futura constitutione circa aeris mutationes.

PRognostica tempestatum diaria, sive in singulos dies determinatè expressa attentare, ingenium viresque superat humanas. Quis enim tam omnium circumstantiarum perspicax, punctum temporis determinare valeat, quo effectus aliquis in aëris mutatione per siderum concursus eventurus sit; cùm effectus tales non solùm ab hoc concursu siderum, verùm etiam ab ipsius aëris, atque terræ, ex qua in aërem evaporationes exhalationesque fiunt, constitutione dependeant: quæ quàm varia sit, nemo non solum qui Philosophiam vel à limine salutavit, sed etiam è trivio quisquam ignorat. Lignum ab igne combustum iri, si illud huic proximè applicatum fuerit, omnes pronunciant: quis verò est tam lynceis

oculis, aut tam distillato ingenio Philosophus, qui intimam & exactam ipsius ligni dispositionem (multas enim ob causas alterum altero igni recipiendo est aptius) cognitam perspectamque habeat: cui ipsius ignis virtus & efficacia satis adeò explorata, (cùm & illa prout ignis rarior aut densior est, variet plurimùm) ut temporis punctum definire possit, quo hic illud, quantumvis proximè conjunctum, sit in cineres redacturus? Hoc igitur cùm mortalium nemo determinare possit, quid est, quod à Mathematico quantumcumque philosophiæ notitiâ instructo desideratur, ut punctum determinet, quo per siderum influxus aëris mutationes contingunt: cum multo minùs ipsi aëris terræque constitutio, quæ & diversissima, & reconditissima est, nota esse possit, quàm ignis ligníque ad manus obvii temperamentum. Quodsi effectus quem Mathematicus in aëris mutatione hodiè eventurum prædixerat, citiùs aut tardiùs aliquantò contingat ut vel sub finem hesterni diei, vel sub initium sequentis: jam tum is fallax & inanis siderum temporumque observator audire debet. Infallibiles aëris mutationes ex astris prædici non posse ultro fatemur: sed neque diffitemur, posse probabili eventu eas prædici, licet, ob dictas causas punctum temporis, quo eventuræ sint, determinari non possit. Quare ut imperitis Zoilis calumniandi ansa præscindatur sufficiat in singulas lunationes aëris constitutionem indicâsse. Præclarè hanc in rem Nicolaus Caussinus de Domo DEI lib. 3. cap. 13. *Non est hominis etiam peritissimi certis temporum momentis quasi ad vadimonium citatas assignare pluvias, grandines, & fulgura. Magnum est si paratas in hæc dispositiones prævideat; & si prævisa sequantur sæpius, admirabilem vim ars habet. Rusticorum est ac pueriliter sentientium, ubiq; accusare Astrologos, quòd prædictiones eventis non respondeant. Nemo in his, si sanus est, infallibiles pollicetur effectus. Ut in morbis,*

his, ut in bellis, ut in tot rerum politicarum administratione fit, sic in Astrologia evenit: Opinari hominum est, DEI scire.

OBSERVATIONES

IN ORDINE AD MEDICINAM, NAUTICAM ET AGRICULTURAM.

CAPUT I.

Prognostica ex 28. Mansionibus Lunæ.

SOlent Aſtrologi totum Zodiacum in 28. partes æquales dividere, quas partes manſiones Lunæ vocârunt, propterea quòd Luna in peragrando Zodiaco, in quálibet earum, diem unum maneat & conſumat. Ex his manſionibus, multa colligunt, & vaticinantur Aſtrologi quorum quædam ad electionem ſpectant, quædam ad aëris mutationem, ad medicinam & agriculturam, verùm illa priora quia apertè falſa & ſeverè ſunt prohibita omittemus: hæc licet parum probabilia, quia tamen permiſſa & valdè uſitata ponemus. Illud ſolùm admonentes parum conſtare inter auctores, unde nam dictæ Zodiaci partes, ſeu Lunæ manſiones, ſumant initia. Guido Bonatus à 19. gradu & 26. minuto Arietis ſumit initium, Joannes Paduanus Veronenſis in ſuo viridario à 20. gradu Arietis & ſexto ejus minuto: alii aliunde. Meliùs dicerent vel eſſe incipiendas à principio Arietis primi mobilis, ſeu ab æquinoctio verno Arietis vel à Novilunio quod fit in Ariete, vel certè à prima ſtella Arietis cujus opinionis cauſa poſſet eſſe quòd etiam primam manſionem à Cornibus Arietis in qua prima ejus ſtella reperitur, denominare ſoleant cæteras deinde manſiones à ſequentibus ſtellis, quamvis autem prima illa ſtella Arietis principio fuerit in primo gradu Arietis primi Mobilis

ſeu

ſeu in Æquinoctio verno, nunc tamen multùm reperitur ab eo in occaſum receſſiſſe. Nam ſingulis annis progreditur, 26. ſec. 25. tert. & 50. quartis, ducentis verò annis 1. gradu, 28. min. 9. ſec. 47. tert. 45. quartis: ſpatio autem 490000. annorum abſolvet totum Zodiacum. Hic eſt enim motus noni orbis, quo firmamentum cum omnibus ſuis ſtellis extrinſecè & accidentaliter movetur. Aliqui tamen putant ſingulis annis ſtellam illam primam cum reliquis, 40. minutis procedere. Quia igitur nihil omninò certi de principio harum manſionum Lunæ habemus, nullos etiam certos gradus Zodiaci eis aſſignare poſſumus, neque tales quos nunquam mutaret. Sed hoc obſervabimus ut ubicunque primam manſionem incipiamus, 12. ei gradus & 49. min. attribuamus, deinde ſecundæ manſioni totidem alios ſequentes & ſic deinceps reliquis manſionibus, reliquos gradus & minuta uſque ad finem. Atque ut hoc ſine negotio facere poſſimus peculiare ad hoc inſtrumentum conſtruemus hunc in modum.

Deſcribantur primò in charta immobili 4. Circuli, ut fiant 3. ſpatia circularia, in quorum medio deſignentur 360. gradus in ſupremo 12. ſigna Zodiaci, in infimo 12. menſes, cum ſuis utrique radicibus, ſecundò fiat alius circulus paulò minor 1. in cujus extremitate 3. deſcribantur circuli, ut fiant duo ſpatia in quorum ſupremo ſint 28. ſpatia æqualia deſignata cum numeris manſionum, in inferiori ſint eis partes adſcriptæ, facies etiam ut initium primæ manſionis habeat indicem ſeu denticulum prominentem. Ad extremum etiam tertiam rotulam, ſecundâ paulò minorem adjunges, quæ nihil præter indicem prominentem deferet. Has rotulas cùm in Centro conjunxeris, pones indicem mediæ ſuper eum gradum Zodiaci à quo manſiones Lunæ vis incipere ſecundum quodcunque tempus & quamcunque opinionem, Indicem autem minimæ rotulæ pones

pones ſuper initium cujusvis manſionis, & ſtatim videbis, quinam gradus Zodiaci illi reſpondeant. Hæc autem ſunt nomina & proprietates ſingularum manſionum Lunæ.

Prima manſio dicitur Alnat, hoc eſt cornua arietis, eſt temperata, bonum ſumere medicinas.

2. Alothaym id eſt venter Arietis ſicca, planta, ſere.

3. Athoraye id eſt Plejades; humida, naviga.

4. Aldebaran id eſt caput tauri, humida, plus tamen frigida, ſere, planta.

5. Alchataya id eſt extremitas cornuum Tauri, ſicca, medicare.

6. Alchaya id eſt ſydus parvum lucis magnæ, temperata, naviga.

7. Alaryach id eſt brachium Geminorum, humida, ſemina, ara, naviga.

8. Anatrachia, id eſt nebuloſa, temperata, ſume medicinam.

9. Alcharph id eſt oculus Leonis, ſicca, naviga.

10. Ageliche, id eſt cervix Leonis humida, planta, vindemia.

11. Azobra id eſt Capillus Leonis, temperata; ſemina, planta.

12. Azarpha, cauda Leonis, humida, planta, ſemina, naviga.

13. Alhayre, id eſt canes aut alares Virginis, temp. ſemina, ara, medicare.

14. Azimech, id eſt ſpica Virginis, temp. medicare, ſemina, planta.

15. Algarpha id eſt cooperta, humida, fode arva & puteos.

16. Ahubene id eſt ungulæ aut cornua Scorp. humida.

17. Alchil, id est corona Scorp. humida, utere medicamentis.

18. Althoh id est cor Scorp. sicca, planta, sere, naviga.

19. Achala id est cauda Scorp. humida, planta, sere, naviga.

20. Abnahaya id est trabs, humida, venare, aucupare.

21. Abeldach id est desertum, temperata, semina, planta, sere.

22. Sadahacha id est pastor, humida, medicare, naviga.

23. Sabadola id est glutiens; temperata, utere medicamentis.

24. Sabahad id est sydus fortunæ, temperata, utere medicamentis.

25. Sadalachia id est papilio, sicca, funda, naviga.

26. Alpharg, id est hauriens primus, humida, medicare.

27. Alcharga id est hauriens secundus, humida, semina, medicare.

28. Albotham, id est piscis, temperata, sere, utere medicamentis, quæ omnia cum apposita superiùs præmunitione accipienda.

ROTA 28. MANSIONUM LUNÆ.

ROTA IMMOBILIS.

Signum	Mensis
Aries	tius
Taurus	April.
Gemini	Majus
Cancer	Junius
Leo	Julius
Virgo	Aug.
Libra	Sept.
Scorpius	Octobr.
Sagitt.	Nov.
Caper	Dec.
Aquar	Jan
Pisces	Febr.
	Mar-

ROTA INTERIOR MOBILIS. ROTA INTIMA MOBILIS.

Rota interior mobilis	Rota intima mobilis
1	Temp.
2	Sicca
3	Hum.
4	Humid.
5	Sicca
6	Temp.
7	Hum.
8	Temp.
9	Sicca
10	Hum.
11	Temp.
12	Hum.
13	Temp.
14	Temp.
15	Hum.
16	Hum.
17	Hum.
18	Sicca
19	Hum.
20	Hum.
21	Temp.
22	Hum.
23	Temp.
24	Temp.
25	Sicca
26	Humid.
27	Humida
28	Temper.

Index Index

USUS.

Patet ex descriptione Rotæ paulò ante posita.

CAPUT II.

Alia prógnostica ex mora Lunæ in 12. signis Zodiaci.

LUna ☽ in Ariete balnea salubria reddit, sed caput radere vetat & partes capitis incidere.

☽ In Tauro, agrum aratro proscinde, arbores planta, vineas cole, semina.

☽ In Geminis, balnea, sangvinem non minue.

☽ In Cancro, balnea, sangvinem minue.

☽ In Leone, non utaris ullâ medicinâ.

☽ In Virgine, dies in omnibus rebus mediocres.

☽ In Libra, Cave venerem & balnea.

☽ In Scorpio, balnea, sume medicinas solutivas.

☽ In Sagittario, dies apti ad venandum.

☽ In Capricorno, semina, agros & hortos cole.

☽ In Aquario, semina, planta, fode fontes.

☽ In Piscibus, piscare, naviga, sangvinem minue, utere medicinis solutivis.

CAPUT III.

Quid de tempore electionis sentiendum sit.

NOn quodvis opus quolibet tempore peragendum esse res ipsa docet & ratio, & inter cætera id etiam pulcherrimè docet Ecclesiastes c. 3. cum ait: *Omnia tempus habent & suis spatiis transeunt universa sub cælo, tempus nascendi & tempus moriendi &c. tempus tacendi, tempus loquendi: tempus belli, tempus pacis &c.* Verùm quod nam sit tempus accommodatum cuilibet negotio vel operi conficiendo non omnes sciunt. Astrologi id ex mansionibus Lunæ & ex mora ejus in Zodiaco, item ex natura planetarum & inter se oppositione se cognoscere

dicunt

dicunt & communis scilicet utilitatis causâ, id aliis prædicant & præscribunt. Quos tamen ego minimè audiendos esse censeo, sed potiùs rationem ducem sequendam, quæ propositis & perpensis circumstantiis, judicabit quando quidlibet sit faciendum. Exempli causa. Sit mihi Princeps adeundus. Si quæram ex Astrologo quando id facere debeam? Respondebit exspectandum esse donec Luna sit in Ariete vel Leone aut Martis sextili cum Luna, vel Solis, & Lunæ trinus aspectus. Verùm ego non continuò illi credam si enim modò me Princeps vocat, non vis ut obediam? Si jam opus ipso habeo, si jam est occasio, jam necessitas urget, visne ut hæc omnia negligam? Et quomodo justam reprehensionem effugiam, si id faciam? Quis me non stultitiæ arguet? Sic vani Astrologi, dum ambitiosè in Cœlis versantur, in terris omnem rei bene gerendæ occasionem amittunt, proinde ut hâc in parte non sunt audiendi, ita neque in aliis, ut cùm præscribunt tempus quando sit vestibus novis utendum, quando legendum, quando scribendum, iter ingrediendum, senioribus loquendum, quando mercaturæ exercendæ, & domus ædificandæ. Item quando liberi præceptoribus tradendi, oratores mittendi, juris periti consulendi, homines in vincula conjiciendi, captivi liberandi, quando denique bellum gerendum, matrimonium contrahendum & alia negotia conficienda, nihil ipsi his de rebus sciunt, nihil eis ulla stella quicquam annunciat: Res tota est cum viris bonis, cum ratione, deliberanda, & videndum quando expediat, quando sit necesse, quando occasio, quando utile, honestum, facile, & quando non, sic hominis prudentis officio fungemur & à vero non facilè aberrabimus. Tunc autem solùm Astrologorum regulas observabis, quando cum ipsismet Astrologis negotii quid intercedit. Si eum invites ad prandium, non ei apponas quicquam ad man-

manducandum vel bibendum, nisi tibi aspectum bonum stellarum probaverit, si debeas centum aureos, non ei solvas, antequam tempus è Cœlo notatum probaverit. Quod si tempus nullum ipse requirat, nullumque è cœlo observari posse affirmet, non ei credes nisi idem de cæteris omnibus rebus judicium proferat.

CAPUT IV.

De natura, proprietate & prognosticis singulorum signorum Zodiaci.

1.

ARietem Sol ingreditur 21. Martij quo tempore est æquinoctium vernale. Est Aries signum calidum, & siccum, igneum, cholericum, orientale, masculinum, ut Astrologi loquuntur, mobile, diurnum, amarum, prima domus Mars parvæ virtutis, est in Quadrato aspectu cum Leone & Cancro, opponitur Libræ. Est ascendens solis in 19. gradu, Descendens Saturni in gradu 21. fortunatum in gradu 19. Gradus ejus masc. sunt 8. 15. 30. fæmininum 9. & 22. Est Constellatio 21. stellarum apparentium 18. Quando Luna ex Piscibus in ipsum ascendit est in capite draconis, quando ex Virg. in libram est in cauda draconis. Attribuitur ei caput & facies. In eo dum versatur Sol, phlebotomia est bona, medicina communis, unde versus.

Nil capiti facias quando ariete Luna refulget
Venas tunc minuas, & balnea tutiùs intres
Non tangas aurem, nec barbam radere cures.

2. *Taurum* ingreditur Sol 21. Aprilis. Est Taurus signum frigidum & siccum, terreum, melancholicum, fæmineum, meridianum, nocturnum, fixum, acutum, obliquum, prima domus est magnæ virtutis, oppositum Scorpio, est in aspectu

aspectu

ſpectu Sextili cum Leone & Cancro. Aſcendens Lunæ in gradu 3. nullius deſcendens. Gradus ejus maſc. ſunt 5. 11. 21. 30. Fæminei 17. 24. Fortunati 3. 15. 27. Eſt conſtellatio 23. ſtellarum 44. Dominatur collo & pectori, Phlebotomia mala, medicina mala, Hinc verſus.

Arbor plantetur, cum Lunam taurus habebit
Ædificare potes, non mandes ſemina terræ
Et medicus caveat cum ferro tangere collum.

3. *Geminos* ingreditur Sol 22. Maij. Eſt conſtellatio 24. ſtellarum 25. eſt ſignum Calidum, humidum, aërcum, ſangvineum, maſculinum, occidentale, diurnum, commune, dulce, obliquum. Prima domus Mercur. parvæ virtutis, oppoſitum Sagitt. facit aſpectum Conjunct. cum Leone & Cancro Eſt aſcendens capitis draconis in 3. gradu, & deſcendens Caudæ Leon. in 3. Dominatur humeris, brachiis, manibus. Phlebotomia mala, medicina communis, ineptum inciſioni venarum, unde verſus.

Brachia non minuas cum luſtrat Luna gemellos
Ungvibus & manibus cum ferro cura negetur
Non venam tangas ſi vis producere vitam.

4. *Cancrum* Sol ingreditur 22. Junij. Eſt Conſtellatio 25. ſtellarum 13. ſignum frigidum, & humidum, aqueum, ſeptent. mobile, phleg. fæmineum, nocturnum, inſipidum, rectum, prima & 2. domus Lunæ magnæ virtutis. Oppoſitum Capric. eſt in aſpectu Conjun. Opp. Quadr. cum Leone, eſt aſcendens Jovis in gradu 15. Deſcendens Martis in gradu 28. Ejus gradus Maſc. ſunt 2. 10. 23. 30. fæm. 8. 12. 2. 7. Fortunati 12. 3. 4. 15. Dominatur pectori, ſtomacho, & pulmoni. Phlebotomia communis, medicina bona, varius in minutione ſangvinis unde verſus.

Pectus,

Pectus, pulmo, jecur, in cancro non minuatur
Potio sumatur, si morbus postulet ipse
Non nisi constrictus venas incidere debes.

5. *Leonem* Sol ingreditur 24. Julii. Est constellatio 26. stellarum 35. est signum calidum & siccum, igneum, cholericum, orientale, masculinum, fixum, rectum, diurnum, & nocturnum; amarum, prima & 2. domus solis, magnæ virtutis, oppositum Aquario, est in aspectu Conjun. Opp. Quadr. cum Cancro nec est ascendens nec descendens planetarum. Ejus gradus Masc. sunt 5. 15. 30. fæm. 8. 23. fortunati 2. 5. 7. & 19. Dominatur stomacho, cordi & inferioribus, pectori; dorsum & latera respicit. In Luna ejus Phlebotomia mala, medicina mala, periculosum, sangvinem emittere, de quo versus.

Cor gravat & Stomachum, cum cernit Luna Leonem
Nil medicum sumas, tibi nil de sangvine demas
Hæc nisi conserves vitæ discrimen adibis.

6. *Virginem* ingreditur Sol 24. Augusti. Est constellatio 27. stellarum 32. est signum frigidum & siccum, terreum, melancholicum, nocturnum, commune, fæmineum, acutum, meridionale, rectum, secunda domus Mercur. magnæ virtutis, Oppositum Piscibus, est in aspectu Conjunct. cum Leone & Cancro, Ascendens Mercurii, in gradu 15. Descendens Ven. in gradu 27. Dominatur ventri & umbilico. Luna ejus mala, Phlebotomia mala, medicina mala, indifferens venæ secandæ.

Nil tibi cum medico cum Luna in Virgine splendet
Viscera cum costis caveat curare chyrurgus
Detur agro semen, dubites intrare carinam propter tempestates.

7. *Libram* ingreditur Sol 24. Septembris est 28. Constellatio, stellarum 37. signum calidum & humidum, aëreum, sangvine-

gvineum, occidentale, masculinum, durum, mobile, rectum dulce, secunda domus Ven. minoris virtutis, oppositum Arieti, constituit æquinoctium autumnale. Habet aspectum Sextilem cum Leone & Cancro, est ascendens Saturni in gradu 21. Descendens Solis in gradu 19. Ejus gradus Masculini sunt 5. 20. 30. fæminini 15. 27. fortunati 3. 5. 21. Dominatur umbilico, lumbis, interioribusque ventris. Ejus Luna bona, Phlebotomia bona, medicina communis. De quibus versus.

Libra nitens Lunâ renuit natura medellam,
Aut renes, & si fas est sic dicere nates;
Sed tamen humores qui vult de corpore demat.

8. *Scorpium* Sol ingreditur 24. Octobris. Est Constellatio 29. Stellarum 24. Signum frigidum, & humidum, aqueum, phlegmaticum, septemt. fæmineum, fixum, nocturnum, insipidum, rectum, secunda domus Mart. magnæ virtutis. Oppositum Tauro, habet aspectum Quadr. cum Leon. & Canc. nulli ascendens, descendens Lunæ in gradu 3. Dominatur secretis naturæ, fœmori & vesicæ, ejus Luna est indifferens, phlebotomia communis, medicina bona. Versus.

Scorpius augmentat morbos in parte pudenda
Difficilis tunc vulneribus cunctis medicina paratur
Vulnera ne cures, nisi læsus, sitq; necesse
Si tamen est libitum, medicinam sumito tutus.

9. *Sagittarium* ingreditur Sol 24. Octobris. Est constellatio 30. stellarum 31. Signum calidum & siccum, igneum, cholericum, orientale, masculinum, diurnum, commune, rectum, amarum: Prima domus Jovis magnæ virtutis, oppositum Gemin. habet aspectum Trigon. cum Leon. & Cancro, est ascendens caudæ draconis in gradu 3, & capitis in gradu 13. Ejus gradus masculini sunt 2. 12. 30. fæminini 5. 24. fortunæ 13. 20. dominatur costis. Ejus Luna est bona, Phlebotomia

mia bona, Medicina mediocris, utilis incisioni, venæ, hinc versus.

Luna nocet femori si sit conjuncta Sagittæ.
Rade caput, minuantur brachia, balnea quære
Ungves & crines poteris abscindere tutus.

10. *Capricornum* Sol ingreditur 24. Decembris. Est 31. constellatio, stellarum 28. facit solstitium hyemale, est signum frigidum & siccum, terreum, melancholicum, meridianum, fæmininum, mobile, obliqvum, nocturnum, acutum. Prima domus Saturn. minoris virtutis, oppositum Cancro, habet aspectum oppos. cum Leon. Canc. Est ascendens Mart. in gradu 28. Descendens Jovis in 15. Ejus gradus masculini sunt 9. 11. 30. fæminini 19. fortunæ 12. 13. 14. 20. Dominatur genibus. Ejus Luna est mala, phlebotomia mala, medicina etiam mala, inutilis incisioni venæ.

Cura nocet genibus, cùm caprum Luna videbit
Intrat aquas navis (propter tranquillitatem) citius curabitur æger
Non tamen incides ullam de corpore venam.

11. *Aquarium* Sol ingreditur 22. Januarii, est constellatio 32. stellarum 45. est signum calidum & humidum, aëreum, sangvineum, occidentale, masculinum, diurnum, fixum, obliqvum, dulce, secunda domus Saturn. magnæ virtutis. Oppositum Leon. habet aspectum opp. cum Leon. & Cancro, nec est ascendens nec descendens. Ejus gradus masculini sunt 5. 21. 27. fæminini 15. 25. 30. fortunæ 7. 16. 17. 20. Dominatur cruribus & cavillis pedum. Ejus Luna bona, phlebotomia bona, medicina communis, indifferens incisioni venæ. Versus.

Tangere crura cave cùm Luna videbit aquosum
Phlebotomare potes medicinam sumere si vis
Insere tum plantas.

12. *Pisces*. Efficiunt constellationem 33. stellarum 33. Eos Sol ingreditur 20. Februarii. Est signum frigidum & humidum, aqveum, phlegmaticum, fæmineum, nocturnum, commune, insipidum, obliqvum, meridionale, est secunda domus Jovis minoris virtutis, oppositum Virgini, habet aspectum Trigon. cum Leon. & Cancro, ascendens Ven. in 27. grad. descendens Merc. in 15. ejus gradus masculini sunt 10. 23. 30. fæminini 20. 28. fortunati 13. 20. dominatur pedibus, ejus Lunatio indifferens. Phlebotomia communis, medicina bona.

Pisce tenente Lunam noli curare podagram
Tunc tamen infirmis est potio sumpta salubris
Embrio conceptus epilepticus exit in annis.

Notandum quòd licet luna in signo quopiam fuerit ad minutionem sangvinis electo, non tamen attingi debere partem corporis, eidem signo alligatam. Præterea juventuti luna crescens servit, senectuti decrescens pro incisione venæ. De quo tamen paulò post plura quæ apponere nos non dedecebit cùm Hippocr. Gal. & alii nobilissimi Medici eorum rationem habeant & alibi similium typis commissorum à viris doctis & religiosis exempla non desint.

CAPUT V.

De Explicatione quorundam terminorum.

UT ea quæ capite præcedente diximus, & etiam reliqua, meliùs intelligantur, opere pretium me facturum arbitrabar, si hic quorundam difficilium terminorum, seu nominum Astrologicorum explicationes subjungerem, quandoquidem sæpiùs usurpantur, & tamen à paucis intelliguntur.

Constellatio, seu asterismus & imago, nihil aliud est quàm multitudo quædam stellarum formam alicujus animalis, aut

aut alterius cujusvis rei effigiem suo situ ac ordine referens; notârunt autem Astrologi 48. constellationes in Cælo, quæ omnes constant stellis solùm 1022. quæ distinctè discerni possint.

Dicitur *Planeta* vel signum aliquod calidum aut siccum &c. eò quòd habeat virtutem calefaciendi, exsiccandi &c.

Dicitur *igneum*, *aëreum* &c. eò quòd habeat virtutem producendi qualitates illis elementis similes. Eâdem de causâ dicitur *sangvineum*, *cholericum* &c. quòd scilicet habeat virtutem producendi qualitates, quæ in his complexionibus prædominantur, ut in cholera calor & siccitas, in sangvine calor & humor &c.

Dicitur *orientale*, *meridianum*, *occidentale*, *septentrionale*, eò quòd in horizonte sphæræ ad partes mundi ope magnetis directæ, sit versus illas mundi plagas descriptum. Vel quòd etiam in ipso Zodiaci circulo eas partes respiciat aliquo modo, cùm ita circulus ille collocatur, ut Aries sit in oriente, & Libra in occidente. Alio tamen modo omnia signa dicuntur septentrionalia, quæ ultra æquinoctialem versus septentrionem declinant.

Dicitur *rectum* cum quo plures æquinoctialis gradus oriuntur quàm Zodiaci: Obliqvum autem cum quo pauciores.

Dicitur *masculinum* quòd magis ad masculum producendum concurrere putetur, *fœmininum* quòd magis ad fœminam.

Dicitur *diurnum* quòd majores putetur habere vires interdiu. *Nocturnum* autem eò quòd noctu majores.

Dicitur *amarum*, *dulce*, *durum* &c. quòd habeat qualitates saltem virtuales, his qualitatibus secundis similes & proinde magis ad eas producendas concurrat quàm alia signa.

Dicitur *domus alicujus planetæ* eò quòd Astrologi totum Cælum in 12. partes dividant quas domos appellant, & planeta in aliqua harum sibi assignata majorem auctoritatem, &

pote-

poteſtatem habere putetur, quàm in alia; ſicut pater aliquis familias, plus habet poteſtatis in ſua domo, quàm in aliena, omnes tamen planetæ præter ſolem & lunam, duas ejusmodi domos habent, ſeu duo ſigna, in quibus imperant, & eorum unum maſculinum, alterum fæmininum, dicitur.

Dicitur ſignum alicujus planetæ *Aſcendens*, eò quòd planeta ab eo ſigno incipiat aſcendere ſeu accedere ad Regionem noſtri poli ſeptentrionalis. *Deſcendens* autem eò quòd hinc recedat versùs meridiem.

Dicitur *dominari ac præeſſe certis membris* corporis humani, vel quòd peculiarem virtutem in ea membra transmittere putetur, vel quòd difficiliùs curentur cùm Sol in eo exiſtit. *Triplicitas* ſignorum nihil eſt aliud, quàm concordantia trium ſignorum in iisdem qualitatibus. Ea autem eſt quadrifaria. *Ignea* Aries Leo, Sag. quæ eſt, calida & ſicca, orientalis, cholerica, & ætati juvenili præſidens, cujus dominus primus in die eſt Sol, noctu verò Juppiter participante Saturno.

2. Triplicitas eſt *Terrea*, Taur. Virg. Caper, frigida & ſicca, meridionalis, melancholica, præſidens ætati virili, quam in die Venus, in nocte Luna Saturno participante gubernant.

3. Eſt *aërea* Gem. Libr. Aquar. calida & humida, occidentalis, ſangvinea, puerili præſidens ætati. In die quidem Saturni, noctu autem Ven. ſubjecta poteſtati, Jove virtute ſuâ comitante.

4. *Aquea* Cancer Virgo Piſces frigida & humida, ſeptentrionalis, phlegmatica, ætati ſenili præſidens, quam Ven. interdiu, Mars cum Luna noctu gubernat.

Dicitur planeta aliquis habere *regnum* in aliquo gradu ſigni, vel *exaltationem* ſuam, in quo majorem putatur habere virtutem operandi.

Dicitur autem deponere, *regnum debilitari, cadere, & dejici*, quando in aliquo gradu, minorem vim agendi habere putatur ut Astrologi sentiunt.

Dicitur planeta *directus*, quando directè secundum signorum successionem velociùsque movetur, idque fit in superiori semicirculo.

Retrogradus cùm contra successionem signorum tardiùsque movetur, ut retrogredi videatur, id quod fit in inferiori ejus semicirculo, dicitur *Stationarius* cùm ejus motus nec augeri nec decrescere, sed quodam modo stare videtur.

Dicitur planeta *combustus*, dum orbe atque radiis solis tegitur, ita ut à nobis conspici non possit, idque fit quoties non magis quam per 15. gradus à sole distat, & cùm infra duodecimum gradum se continuerit, tum *absconsus & oppressus* dicitur. *Vacuus* cursu dicitur planeta, tunc cùm aliquo die nec corpore nec aspectu alicui planetarum commiscetur, idque inprimis convenit Lunæ, quæ si nulli planetarum sociata fuerit aliquâ die, eam Astrologi diem otii & quietis fore affirmant. *Minor lumine & magnitudine cursûque tardior* tum dicitur planeta quando est ascendens in circulo augis suæ, quod tum demùm accidit cùm superiorem partem eccentrici tenuerit & inter ipsum & augem ejus pauciores quàm 90. gradus fuerint, sic enim fortior virtute probatur.

Æquales lumine, cursu, magnitudine, atque *fortitudine*, dicuntur, cùm inter planetas, & auges eorum præcisè 90. gradus interjiciuntur. *Auctus lumine, magnitudine, cursuque* velocior atque debilior cum pluribus gradibus quam 90. ab auge distiterit, tunc enim in circulo descendens major apparebit. *Auctus* cursu dum verus eorum motus medium superat, sin minus, *minutus cursu dicetur.*

CAPUT VI.

De Phlebotomia & sangvinis minutione.

PHlebotomia generatim loquendo, est humorum evacuatio, vel propter sangvinis abundantiam vel propter ejus malitiam, vel propter utrumque. Qui autem eâ uti debeant & quomodo, & qui non: ex sequentibus Regulis intelligetur, quas Astrologi à Medicis commodatò accipiunt.

1. Cavebunt à minutione sangvinis, homines quibus melior est complexio. Nam in ejusmodi, sangvinis minutio, appetitum dejicit, & disponit ad hydropisim, cardiacam passionem, paraclysin, & apoplexiam generatque membrorum tremorem, debilitatem stomachi, & hepatis, ac denique totius naturæ.

2. Ab ea sibi cavebunt homines malæ digestionis, stomachum & hepar frigidum habentes.

3. Quicunque ab ea sibi cavebit, post balneum, post magnum laborem & exercitium, post nimiam & insuetam ventris solutionem, post longas vigilias,& infirmitates,nisi penitus convaluerit & post actus conjugales.

4. Quicunque 14. annis minor est ab ea sibi cavebit. Utentur autem minutione homines pingves, carnosi, in potu & cibo largi, quorum venæ amplæ, & sangvine plenæ, & quos febris, scabies, & alii morbi sæpiùs infestant. Verùm nec die periodicâ nec horâ paroxismi est vena incidenda. Hæc autem in ipsa minutione observanda sunt. 1. ut sit mediocris. Quia si sit nimia, generantur morbi, veluti pustulæ, febris, lepra, apostemata, perditur auditus, caligant oculi, sequunturque aliæ etiam infirmitates, & quandoque mors subitanea. 2. Ut fiat jejuno stomacho, digesto jam cibo & exonerato corpore per ordinarias vias. 3. Ut fiat tempore nec

nimis

nimis calido, nec nimis frigido, & Cœlo ſemper ſereno. 4. Ut in vere minutio fiat ex dextera parte, in autumno ex ſiniſtra.

Poſt minutionem autem, hæc obſervanda ſunt, ut utatur quis cibis bonis, ſubtilibus, & teneris, qui facilè digeruntur. 2. Ut abſtineat à nimio labore, & à balneo usque ad 4. diem. 3. Ut abſtineat à rebus reſtrictivis veluti ab aceto, pyris, caſeo, carnibus duris, & fumigatis, & ſalſis. 4. Ut abſtineat à Melancholia & cæteris paſſionibus, ſed ſit lætus, ſe recreet, & bono vino utatur. Hæc doctrina comprehenditur illis antiquis & incultis (quales ſunt & alii adducti) verſiculis.

Ar. lib. de vena bene fundunt, urna ſagitta
Cancr. Scorp. piſc. mediæ; cætera credo mala.
In Luna plena non tangatur tua vena
Ver æſtas dextra autumnus hyemsque ſiniſtra
Ante diem quintum Lunæ, annos cum quinque viginti
A te vitanda eſt quaſi mors phlebotomia.
Martini, Blaſii, Philippi quoque, Bartholomæi,
His feſtis minuas ut longo tempore vivas.

Aspectus boni pro Phlebotomia.

Conjunctio Jovis & Lunæ, Conj. Lunæ & Vener. Sextilis Lunæ & Jovis, Sext. Lunæ & Ven. Sextil. Lunæ & Solis. Sext. Lunæ & Saturni. Sext. Lunæ & Martis. Quadrata Lunæ & Jovis, Quadr. Lunæ & Ven. Trigona Lunæ & Jovis. Trigona Lunæ & Ven. Trigona Lunæ & Solis, Trigona Lunæ & Martis. Oppoſitio Lunæ & Jovis, oppos. Lunæ & Ven.

Aspectus mali pro Eadem.

Conjunctio Solis & Lunæ & duo antè & poſt dies, Trig. Lunæ & Martis & una antè & poſt dies. Conjunctio Lunæ

næ cum capite draconis. Conjunct. Lunæ cum Marte, una antè & post dies, similiter cum cauda draconis. Quadratum Lunæ cum Sole, duodecem antè & post horæ. Quadr. Lunæ cum Saturno 12. antè & post horæ. Oppositio Lunæ & Solis, una antè & post dies. Opp. Lunæ & Martis, una antè & post dies. Quadr. Lunæ & Martis una & post dies.

CAPUT VII.

Quo pacto ex Luna & cæteris stellis colligatur tempus incisioni venæ accommodatum.

PHlegmatici emittent sangvinem, dum Luna fuerit in Ariete cephalicâ exceptâ. Item cùm fuerit in Sagittario coxas tamen non tangent, Melancholici emittent cùm Luna fuerit in Aquario & in prima medietate Libræ. Nihilominùs tamen Libra nates, Aquarius autem tibias excipiet. Cholerici emittent dum Luna fuerit in Cancro & Piscibus. In Cancro tamen pulmaticam, in Piscibus Cephalicam non tangent. Generatim autem loquendo signa minutioni apta censentur Gem. Virg. Leo & medietas Libræ; secunda autem pars Scorpii pro minutione sangvinis haud accommodata censetur. Hoc etiam observandùm, Primam quartam juvenili conveni-re ætati. Secundam juvenili & virili. Tertiam virili & senili, Quartam autem solùm senili.

Insuper etiam quidam planetarum aspectus, minutionem idoneam reddunt. Primò si Luna fuerit cum Jove vel cum Ven. non combusta, in signo apto incisioni venæ, tum enim erit optima. 2. Cùm Luna quarto, aut trino Jovis aspectu irradiata fuerit. 3. Jovis Conjunctio & Veneris cum Luna bonam reddent sangvinis effusionem. 4. Trinus & Sextilis Solis & Lunæ, itemque trinus Martis atque ejusdem

ad Lunam Sextilis, electam sangvinis minutionem indicant. Præterea observandum Solis & Lunæ congressum, tribus ante diebus, & totidem post, suspectam reddere minutionem. Lunæ item cum Sat. Marte vel Mercur. capite atque cauda draconis conjunctionem, uno die ante & post impeditam facere minutionem. Denique & hoc observandum. Venam aut membrum instrumento ferreo tangere, & incidere, ipso die quo Luna signum ejusdem membri imperium tenens, occupaverit, insalubre judicari.

CAPUT VIII.

Quando Pharmacis vel medicamentis purgativis vel laxativis sit utendum?

IN cujuscunque Medicinæ exhibitione opere pretium est tempus observare. Diebus enim calidissimis aut frigidissimis eâ utendum non est, neque etiam in ætate puerili, alioquin plurima senectutis incommoda sequentur.

Qui etiam habent sana corpora medicinis laxativis minùs utentur, ne propter humoris substantialis evacuationem, vel Syncope, vel quâvis præcordiorum debilitate opprimantur.

Illi autem solùm utentur medicinis, qui humorum superfluitate, aut malitiâ impugnantur, sed ii cursum Lunæ maximè observare debent. Cùm enim Luna in Canc. Virg. Pisc. fuerit, aptissimum tempus erit, nam ut inquit Albumasar in purgandis corporibus signa aquatica sunt meliora.

Sequentes etiam tabulæ in purgandis humoribus simul aspiciendæ. Nam cum est

Luna in Canc. in Sextili & trino aſpectu	*Veneris*, confert in evacuanda cholera. *Solis aut Martis*, prodeſt in evacuando phlegmate. *Jovis*, prodeſt ad evacuandam melancholiam.	cum electuario.
Luna in Scorp. in ſextili vel trino	*Veneris*, juvat in evacuanda cholera. *Solis* aut *Martis*, juvat in evacuatione phlegmatis. *Jovis*, juvat in evacuatione Melancholiæ.	Cum potione.
Luna in Piſc. in ſext. vel trino	*Veneris*, confert ad evacuationem choleræ. *Solis* aut *Martis*, confert ad evacuationem phlegmatis. *Jovis*, confert ad evacuationem Melancholiæ.	Cum pilulis.

Pharmaca non ſunt exhibenda cùm Luna fuerit in ſignis ruminantibus ut in Ar. & Taur. eò quòd faciant ſumptam medicinam evomere. Cavendum præterea in medicinæ laxativæ exhibitione, ab aſpectu inimico duarum infortunarum ut Con. Quad. & Opp. Saturni, quia eſt frigidus, ſtringit & ingroſſat humores, eos exacuendo usque ad deductionem ſangvinis, maximè ſi medicina data ſit fortis, ulteriùs cavendum in exhibitione medicinæ laxativæ ne Luna ſit juncta Jovi; quoniam tunc impediretur opus medicinæ. Jupiter enim cùm ſit amicus naturæ & vitæ, corroboraret naturam contra medicinam & non conſequeretur ſuum effectum. Sunt etiam ſequentes regulæ obſervandæ. 1. Luna in aliquo ſigno aqua-

tico cursu vacuâ existente, utrumque bonum erit medicinas laxativas adhibere.

2. Si Luna esset in aliquo signo aquatico, & tot essent aspectus fortunati, quot infortunati, etiam utcunque bonum est tempus.

3. Quando aspectus sunt boni ad Lunam, ut Quad. Jovis vel Ven. & opp. & sext. Solis & similiter Mars ad Lunam: bonum erit tempus pharmacis dandis, sed optimum quando est aspectus Sext. vel Trig. Jovis aut Ven. ad Lunam si modò Ven. non sit combusta.

4. In primo & tertio quadro Lunæ, humores exeunt de interioribus ad exteriora. In 2. autem & 4. ab exteriori parte corporis ad interiores reducuntur, ac proinde in 1. & 3. quadris utendum est evacuationibus exterioribus ut phlebotomiâ & balneo, in 2. & 4. interioribus ut pharmacis & medicinis laxativis.

5. Si abundet sangvis in homine, vel peccet in qualitate aut quantitate, recurrendum est ad phlebotomiam. Si autem aliquis aliorum humorum peccaverit, veluti phlegma, cholera aut melancholia, ad illius humoris peccantis expulsionem est festinandum, sive per phlebotomiam, sive per pharmaca & medicinas laxativas.

6. Cùm Luna in Ariete Leon. Sag. fuerit, virtus attractiva roboratur, quæ calido & sicco viget & roboratur. Cùm autem Luna in Tau. Virg. aut Capric. fuerit, confortatur virtus retentiva. Sunt enim hæc signa frigida, frigidi autem est adstringere. Cùm Luna fuerit in Gem. Lib. vel Pisc. virtus digestiva confortatur. Calidi enim & humidi est digerere. Cùm denique Luna in Cancro fuerit, confortatur virtus expulsiva per electuaria, in Scorpio per potiones, in Pisc. per pillulas.

7. Cùm Luna est in Ariete prodest gargarismus, in Luna Gem. & Aqu. bonum est sumere medicinas naturam confortantes. In Scorp. valent sternutoria & suffumigationes: In Libra & Scorp. prosunt clysteria.

8. Denique observandum cùm Luna in signo apto fuerit pro pharmacis, & habuerit aspectum bonum & fortunatum, tum accommodatissimum esse tempus ad exhibendam medicinam.

Regulæ circa Medicinas & humores.

CHolera purgatur *per electuaria* cùm Luna est trina vel sextilis in Cancro cum Venere non combusta. Phlegma verò cùm eadem Luna supradicto modo solem respicit. Melancholia cùm Jovem dicto modo intuetur.

Per pocula purgatur cholera cum Luna in Scorp. Sext. vel Trig. cum Ven. non combusta Si hoc modo sit cum Sole phlegma: si cum Jove Melancholia.

Per Pilulas si Luna in Pisc. Sext. vel Trig. cum Ven. non combusta, Phlegma si hoc ipso modo ad solem se habeat, Melancholia si cum Jove.

Per omnem Medicinam purgatio succedit choleræ si cum Ven. incombusta sit in Libra vel Aqu. Sext. vel Trig. sit Luna, phlegma si hoc modo Luna sit ad Solem, si ad Jovem melancholia.

Circa signa Ar. Taur. Capr. observatum, quòd, si Luna in iis fuerit, æger Medicinam evomit.

Si purgatur Melancholia cavendum à Satur. fortificato, quia hic humorem istum adstringit, ac proinde lien non juvabitur. Sangvis & hepar ejus officina non juvatur si Jupp. sit fortis. Cor non purgatur si Sol robustus. Renes, fel,

cholera non evacuanda Marte roborato; item si Luna vires auxit caput non purgandum.

Cavetur à medicinis purgantibus cùm Luna in Gem.

Animadvertitur etiam ad virtutes naturales hominis ut illæ congruant medicinis, prout sunt à cœlo debiliores aut fortiores effectæ ob qualitates similes aut contrarias à planeta in illas descendentes. *Vitalis* quidem virtus consistere creditur in corde & gubernatur à Sole & Jove. *Animalis* in cerebro & Lunæ, Mercurio, ac Veneri attribuitur. *Naturalis* in jecore, & Jovi, Veneri, ac Lunæ supponitur. Rursus, *Attractiva* Soli: *digestiva* Jovi: *retentiva* Saturno: *expultrix* Lunæ:

Harum virtutum quævis magis per medicinam roboratur si pro eo tempore planeta illius sit robustior, quia & hic pro sua parte cooperabitur. Hinc ulteriùs.

Balneis Medicis non utuntur, cùm Luna in Taur. vel Virg. vel Capric. cùm sint frigida signa, & sicca porosque stringant corporum. Prosunt balnea dum Luna in calidis & humidis, qualia sunt Ari. Leo Sagitt. similiter cùm est in humidis.

Jam observationes circa sectionem venæ sequuntur.

PHlegmatici possunt incidere venam in omni parte corporis; sed si Luna sit in Ariete abstineant à venis capitis, & dum est in Sagitt. à venis laterum, Melancholici etiam ex omni parte corporis, sed dum Luna in primis 15. gradibus Libræ abstineant à sectione in partibus retrò carnosis, & dum in Aqu. à tibiarum venis.

Cholerici caveant secare pectoris venas dum Luna in Canc. & à venis pectoris in pudendis dum in Scorp. & à venis pedum dum in Pisc. in aliis temporibus secent quas volunt. Sed

Quis-

Quisque caveat aperire venam dum Luna in Gem. vel Leone, neque illud membrum tangat, quod alicui signo attribuitur si in eo sit Luna, neque in Novil. & Plenil. & ante & post saltem unâ die.

Item dum Luna Sat. conjunct. vel Mars vel Ven. combusta, vel Mercur. Lun. Qu. Sat. vel Sol vel Mars, non secanda vena.

In omni aspectu Lunæ cum Jove & Ven. non combusta potest educi sangvis, Luna Sext. vel Trig. cum Sole vel cum Marte bonum tempus pro sangvine, Luna in primo Quadrante favet juvenibus, & sangvineis, in secundo viris & cholericis, in tertio senibus & phlegmaticis, in ultimo senibus & Melancholicis. Dum aspectus est Mars & necessitas cogit uti medicinâ, quia hic planeta acuit humores & efferat maximè si est medicina fortis, temperata exhiberi debet si sit necesse.

Dum est Quad. Opp. Conjunct. Sat. quia hic incrassat medicinam, si necesse sit illam exhiberi, tenuior exhibeatur.

Vomitiva danda cum Luna in Ar. Tau. Capric.

In primo & secundo quadrante Lunæ humores ad exteriora corporis feruntur, in aliis duobus quadrantibus ad interiora.

In primo & tertio quadrante utendum cucurbitulis, phlebotomiâ & balneo, in secundo & quarto laxativis.

Dum Luna in Ar. est tempus pro gargarismo. Dum est Quad. & in Aqu. confortantibus uti licet, in Scorp. valent sternutatoria, in Lib. & Scorp. enemata.

Ac ut eadem in Compendium mittamus.

SOlent Medici Astrologiam non ignorantes tria in usu medicinæ laxativæ considerare, scilicet tempus, ætatem, & modum exhibendi medicinam.

Circa

Circa tempus est sciendum, quòd in diebus calidissimis, & frigidissimis medicina sumi non debet. Hip. par. 4. Aphor. 5. inquit. Sub Cane, & ante Canem molestæ sunt purgationes, & medicamentorum usus difficilis. Idem part. 6. aphor. 46. dicit, quòd tempus magis conveniens medicinæ exhibendæ in Autumno, & Vere est, quàm in Æstate propter ebullitionem humorum, & ob nimium calorem, & Hieme propter nimiam frigiditatem. Hip. tamen part. 4. aph. 4. magis Hiemem, quàm Æstatem laudat; cùm dicat purgare quidem Æstate per superiora, Hieme vero per inferiora; ex quibus facilè possumus colligere, quòd si necessitas urget Æstate corporibus mederi, eaque evacuari debent, vomitum provocari; tempore verò Hiemali debent per pharmaca purgari.

Circa ætatem notandum est; quòd pueri & decrepiti inepti sunt sumendo pharmaco; Arnoldus enim de Villa nova, inquit in pueris, & decrepitis verendum est pharmacare. Juvenibus quoque suspectum est crebrò sumere medicinam, quicunque in juventute sæpius pharmacantur citò deflebunt incommoda senectutis.

Circa tertium attendi debet modus exhibendæ medicinæ laxativæ & quibus exhiberi debeat; sana enim habentes corpora medicinâ laxativâ minimè uti debent, sicuti Hip. part. 4. Aphor. 36. testatur.

Tempora pharmacorum electa Astrologi capiunt juxta motum Lunæ in signis aquaticis; signa enim aquea sunt tria Cancer, Scorpio, & Pisces, aliqui addunt Libram, & Aquarium, si felicibus radiis Solis, Martis, aut Veneris collustretur.

Porro cùm vires Planetarum intensæ correspondentes, humores adaugeant, Saturnus melancholiam, Juppiter, Sol, Venus sangvinem, Luna phlegma, Mars bilem, danda est opera; ut in purgandis humoribus unicè consideremus pla-

netarum convenientiam, debilitatem contrariorum, amicorum verò fortitudinem, quæ excitatur præsentiâ, vel accommodato radio Lunæ. Ergo cùm Luna fuerit cum Venere, meliùs, & tutiùs, bilis pellitur; cum Jove melancholia; cum Sole, & Marte phlegma. Ita in specie Luna in Cancro cum aspectu trino, vel sextili Veneris adjuvat pro evacuanda cholera cum electuario; cum aspectu Solis, vel Martis pro evacuando phlegmate; cum Jove tandem pro purganda melancholia. Sic Luna in Scorpione, in trino, vel sextili Veneris confert in purgatione choleræ per potionem; cum sextili, vel trino Solis, vel Martis pro purgando phlegmate. Jovis pro melancholia. Luna tandem in signo Piscium per pillulas evacuationem svadet, cum trino, vel sextili Veneris choleræ, sed melancholiæ cum trino, vel sextili Jovis.

Est & Luna decrescens ad purgationes instituendas melior quàm crescens: præsertim si sine maleficorum radiis cum Jovis, & Veneris retrogradatione sit non propinqua Soli, nec maleficis. Aucta verò lumine, seu crescens, & libera à malorum aspectu curandis oculis est accommodata, imprimis si & Jovis felix ad Lunam irradiatio accesserit.

Cavendum tamen est ne in sumptione pharmaci, Luna signa ruminantia percurrat, quæ sunt Aries, Taurus, & Capricornus: quandoquidem nauseam, & vomitum facilè movent, quod si tamen quis vomitorium fieri cupit faciat id.

Leonis etiam signum: licet non sit ruminans, rejicitur, quia ille ventriculo præest.

Sic fugienda sunt pharmaca cùm Luna quovis radio Saturnum, vel Martem intuetur, imprimis si quadrato, vel opposito radio id fiat; Luna quoque feliciffimè forti juncta impedit purgationes, juxta Ptol. sent. 10. Centiloq.

Quod verò ſpectat venæ ſectionem ſeu ſangvinis emiſſionem. Sunt etiam obſervanda generalia quædam. Nempe ætas ægroti, vires, conſvetudo, & anni tempus.

Ætas enim reſpicienda eſt ut ſcilicet puero ante annum duodecimum non extrahatur ſangvis, neque ſeni in univerſum; ſed ſi vires ſuperſint etiam in ſene forti, & robuſto phlebotomia fieri poterit, in debili autem, tum per ætatem, tum per morbum nequaquam.

Deinde, & conſvetudo ſervanda eſt; nam ſi vir maturæ ætatis phlebotomiæ non aſſvevit abſtinendum eſt à ſangvinis extractione.

Deinde & temporis anni habenda eſt ratio; nam tempore calidiſſimo, maximè diebus Canicularibus cavenda eſt phlebotomia: tunc enim humores perturbati ſunt, ac faciliùs boni, quàm mali effluerent. Sic in ſumma frigiditate humores compacti ſunt, & ſi evocarentur confusè tum boni, tum mali elaberentur. Porro tempore Verno, & Æſtivali fiat phlebotomia in parte corporis dextera; Hieme verò, ac Autumno in parte corporis ſiniſtra.

Quæ autem ſecundum Aſtrologicam diſciplinam ſunt obſervanda ſunt hæc. Primò Lunæ habitus ad Solem eſt attendendus; fugienda eſt enim imprimis Solis, & Lunæ conjunctio, & toto tempore quo Luna ſub radiis Solis occultata verſatur biduum ſcilicet ante, & biduum poſt; ſic luminarium oppoſitio per diem unum tam ante, quàm poſt, & in utriusque quadraturis per integram diem à ſangvinis effuſione eſt abſtinendum: Præterea juvenibus convenit Lunam eſſe in luminis ſui augmento, ſenibus autem in decremento; Quamobrem primus quadrans prodeſt ætati juvenili, & virili, tertius virili, & ſenili, & quartus ſenili tantùm. Neceſſitas tamen non habet legem quandoquidem in magnis, & periculoſis morbis

morbis, ut cùm quis laborat pleuritide non semper est inspiciendum calendarium.

Secundò est præcavendum ne Luna, vel per corpus, vel per radios à maleficis infestata sit; sed beneficis configurata. Etenim conjunctio, vel oppositio Lunæ cum Saturno, vel Marte, vel cum capite, vel cauda, venæ sectionem impedit per diem unum ante, & post; in quadrato autem illorum maleficorum cum Luna, supersedendum est à venæ sectione quousque maleficus per grad. 12. ante, & per grad. 8. post à Luna separetur. Est autem bona conjunctio Lunæ cum Jove, vel Venere, nec non quadratus, vel sextilis eorundem. Laudabilis etiam est trinus, vel sextilis Solis, Jovis, vel Lunæ, aut etiam trinus, vel sextilis Martis, & Lunæ. Item Sol conjunctus cum Saturno, vel Marte. Item conjunctio, quadratus, vel oppositus Saturni, Jovis, vel Martis inter sese sangvinis emissionem impediunt.

Tertiò est eligendum signum conveniens complexioni ægroti, ut in illo Luna reperiatur cùm vena est incidenda, enimverò in signis igneis, ut Aries & Sagittarius: Minutio prodest phlegmaticis. Excipitur signum Leonis, quòd sit domus Solis, & signum ardentissimum. In signis aëreis, Libra, & Aquario, minutio convenit melancholicis, signum autem Geminorum excluditur, quod spatulis, manibus, brachiis præest: In signis aqueis Cancro, Scorpione, & Piscibus fit minutio pro cholericis, licet non nulli caveant à signo Scorpii: In signis terreis Tauro, Virgine, & Capricorno sangvinis extractio parum bona est; sed tamen pro melancholia potest Luna, secundum non nullos, in illis signis accipi.

Est & hoc observandum, quod monet Schoner. Can. 3. part. 3. Isagog. ut hora illa sangvis mittatur, quâ ascendens habet signum idoneum, dominusque ascendentis, & Lunæ

 non

non in 4. vel 8. domo reperiuntur, neque ullum cum domino 8. domûs aspectum habent, quâque maleficæ ab angulis longissimè removentur, & septima, & ejus dominis non impediuntur, aliàs facilè in phlebotomatorem cadit error. Imprimis verò cavendum, ex sentent. Ptol. Aphor. 20. Centil. ne membrum ferro percutiatur, cùm Luna signum tenuerit quod membro illi dominatur. Ut enim Luna totum corpus humectat, ita membrum humoribus affluentiùs implet; quod illi signo subjectum est in quo reperitur, ex cujus nimia humectatione magnum membro nocumentum affertur si ferro irritetur: unde non modò difficilis verùm etiam periculosa curatio sequitur: siquidem ulcera, nervorum distensiones aliaque inde mala consequi solent monente Jovian. Pont. in Coment. Sic cavendum juxta Card. ne Luna in Ariete existente caput tangatur, tum præcipuè cùm infortunæ Saturnus, vel Mars radium suum eò direxerit.

Sed ut ad medicinam non solùm cælum sed & corpus patientis concurrit; ita utriusque debet ratio haberi. Nam nec solum cælum nec sola terra ad gramen concurrit, sed terram aptam cælum perficit, in inepta perit ejus influxus, aut quidvis aliud operatur. Optimè cælo constituto non secanda vena ei qui viribus destituitur; qui phletorâ laborat etiam cælo contrario juvatur superflui emissione, meliùs tamen cælo propitio succedit negotium. Lunæ verò potissima ratio habenda, quia hic planeta præ cæteris nostra corpora afficit. Unde si Luna in signis igneis sit, commotus per medicinam humor facilè inceditur, quod aliàs non fieret si daretur existente planeta in signis temperatis. Si cælum siccitatem inducat non tam facilè humor solvitur: Si à cælo plurimùm juventur partes hominis digestivæ medicina vincetur debilior & in nutrimentum versa non reddit effectum speratum. Neque

solùm

ſolùm illa duo ſupradicta ſpectari debent ſed etiam natura medicinæ, quæ à planeta conſimilis conditionis juvatur, ab eo qui eſt contrariæ conditionis propeditur. Hinc fit ut ſubinde eadem medicina benè & malè, parum aut multum efficiat; & ex reflexione ad iſta debent canones Aſtrologorum æſtimari & in uſum reduci. Neque omittenda conſideratio modi medicinæ, hinc pilulis, electuariis, poculis medicis, alia tempora præſcribi ſolent, nam aliter ſuam operationem exercet ſumpta in potu v. g. quæ ſtatim in fumos reſolvitur & chylo immixta venas ſubit, aliter in pilula quæ diutiùs hæret in ventriculo, tum etiam ad quem humorem purgandum dirigitur, eſt videndum.

CAPUT IX.

De Balneis.

PRo Balneis ſequentes Regulæ ſunt obſervandæ juxta Medicos & Aſtrologos.

1. Cùm Luna in ſignis terreis fuerit, ut in Tauro, Virg. Capric. non eſt aptum tempus balneo, quia talia ſigna ſunt frigidæ & ſiccæ naturæ, frigidi autem eſt reſtringere ac proinde cùm Luna in his ſignis fuerit, pori corporis ſunt reſtricti, & non poteſt eſſe reſolutio humorum & ſuperfluitatum quæ per balneum debent evacuari.

2. In ſignis igneis ut Ar. Leon. Sagitt. eſt aptum tempus balneo; quia tunc corpus eſt diſpoſitum pro reſolutione, calidi enim eſt reſolvere.

3. In ſignis aqueis ut in Canc. Scorp. Piſc. eſt etiam bonum tempus: tunc enim humores & ſuperfluitates ſunt fluxæ & diſpoſitæ ad reſolutionem quæ fit per balneum.

4. Cùm luna fuerit in aëreis solùm erit aptum tempus in Libra non autem in Aquario: quia est domus Saturn. nec in Gem. quia plerumque balneantes ponunt ventosas seu cucurbitulas in manibus, Gem. autem respiciunt manus & brachia, acproinde in eorum dominio non sunt tangenda; nihilominùs tamen & in Aqu. & Gem. judicatur congruum tempus pro balneo.

5. In Aspect. malorum balneum non prodest, ut in aspectu Canc. Quadr. & Opp. Sat. similiter Martis & Solis; in aspectibus autem bonorum planetarum, accommodatum est tempus balneis.

Regulae Morbi Crisim dignoscendi ex Cornelio Pleiero seu die ab initio morbi septima.

I.

SI Luna cùm pervenit ad Quadr. vel Opp. Con. est in domo sua die criseos, benè: Si in casu malè.

2. Si die crisis Luna est in aspectu bono bene: in malo malè.

3. Si ab initio morbi Luna venit ad Quadr. vel Oppos. & Ecclypsim patitur malè juxta domum Ecclypsis.

4. Cùm ad idem punctum ab Ariet. vel Lib. vel Tropicis Luna redit, vel cùm æquales sibi dies Lunâ bene constitutâ, benè.

5. Si initio morbi ascendit Ar. vel Libra & Luna in angulo, certa crisis ex positione Lunæ.

6. Si Luna initio morbi in signo mobili, citò convalescet aut morietur. Si in fixo tardè, si in bicorporeo morbus in morbum mutabitur.

7. Si morbus ex augmento & Luna crescit, malè, si in decremento, benè.

8. Si

8. Si morbus ex inanitione & Luna decrescit malè, si crescit benè.

9. In novilunio malè. Si Con. Luna cum Sole in Ar. vel Leone diminuitur malum.

10. Luna cum Saturn. Con. malè, & morbus longus. Si Saturn. tardus pejùs, si velox meliùs, si Resp. Saturn. recedivat ante Conj. Solis æger, si post Opp. Sol. cum Luna minuetur malum.

11. Si Luna crescit juncta Saturn. non nimis malè, si decrescit pessimè. Si Saturn. orient. & si morbus ex frigida causa, minuitur: Si ex calida, crescit. Saturn. occid. si morbus calidus, minuitur: si frigidus, pessimus. Luna juncta planetæ Resp. significat vomitum. Luna in domo Saturn. minuit malum, item in Libra.

12. Conj. Lunæ cum Jove bona. Item Luna in domo Jov. optimè.

13. Luna Conj. Mart. malè si decrescit, morbus decrescit, si crescit Luna, morbus crescit.

14. Luna conjuncta Ven. benè.

15. Conj. Lun. cum Mercur. non nimis benè.

CAPUT X.

De Ventosis seu Cucurbitulis.

QUando Luna fuerit in Ariete & Sagitt. bonum est tempus adhibere ventosas phlegmaticis; in Ariet. tamen excipitur caput, in Sag. coxæ, cùm fuerit in Canc. Scorp. & Pisc. est bonum tempus pro cholericis, excipitur tamen pectus in Canc. verenda in Scorp. & femur ac loca vicina in Pisc. cùm fuerit in Aqu. & Lib. bonum est pro melancholicis, excipiuntur tamen crura & tibiæ in Aqu. nates in Lib. cùm autem Luna

fuerit in Leon vel in Gem. aut signis terreis non est bonum adhibere ventosas. Denique cùm Luna est in aspectibus bonis planetarum fortunatorum, laudatur ventositas: in aspectibus autem infortunatorum reprehenditur.

CAPUT XI.

De aeris mutatione secundùm diversam positionem planetarum in 12. signis Zodiaci.

ALbumasar in libro magnarum conjunctionum fusè describit quo pacto planetæ in 12. signis Zodiaci versantes efficiant variam aëris mutationem secundùm variam eorum positionem, prout fuerint Orientales vel Occidentales, stationarii aut combusti.

De Planetis in Ariete.

SAturnus cùm in Ariete sub radiis Solis fuerit, hoc est quando fuerit combustus, efficit tenebrosum aërem & densatum nubium ascensum, cum aëris turbatione. In infirmitatibus autem hominum, significat fluxus catarrhi, ex humore frigido. Vespertinus, hoc est occidentalis significat ventos frigidos. Orientalis autem seu matutinus, bonam aëris dispositionem. Cùm fuerit stationarius tonitrua & fulgura adducit.

Jupp. in Ariete combustus pluvias facit. Occidentalis nebulas & rores. Orientalis serenitatem, stationarius abundantiam fructuum.

Mar. in Ariete combustus facit serenitatem, Occidentalis contrarium, Orient. turbationem aëris, stationarius fulgura & tonitrua.

Venus in Ariete combusta parit vespertina ventos, matutina tonitrua & pluvias; stationaria, humorem.

Mer-

Mercur in Ariete combuſtus facit tempeſtatem. Occidentalis benè complexionatus. Orientalis ſerenitatem, & generatim loquendo Mercurius ventos adducit in quocunque ſtatu.

De Planetis in Tauro.

SAturnus in Tauro ſub radiis Solis bonum tempus efficit: infirmitates tamen colli, & ſquinantiæ malum adducit. Occidentalis facit ſiccitatem, & bonum ſtatum, Stationarius tonitrua & aëris turbationem, denſaſque nubes.

Juppiter in Tauro combuſtus, mediocrem aëris tempeſtatem efficit: Occid. imbres. Orient. abundantiam rerum, paſcuorum, & præſertim ficuum. Stationarius ſimiliter fructuum abundantiam & ſuavitatem.

Mars in Tauro combuſtus tranquillitatem efficit ſine vento. Occid. ſerenitatem. Orient. ventos, Stationarius aëris ſiccitatem.

Venus in Tauro combuſta facit tonitrua. Occident. ſerenitatem. Orient. omnium rerum bonum ſtatum. Stationaria mediocritatem rerum.

Mercurius in Tauro combuſtus, facit tempeſtates. Occident. bonum rerum ſtatum. Orient. humores, & rores aëriſque mutationem.

De Planetis in Geminis.

SAturnus in Geminis combuſtus, facit ſiccitatem. Occid. ſiccitatem. Orient. bonam complexionem. Stationarius infirmitates hominum.

Juppiter in Geminis combuſtus facit bonam rerum conditionem, Occident. ſanitatem. Similiter & Orientalis, ac etiam Stationarius.

Mars in Geminis combuſtus facit infirmitates hominum. Occident. calorem. Orientalis nihil. Stationarius calorem & ſiccitatem.

Venus in Geminis combuſta efficit ſiccitatem, Occidentalis ventos, Orientalis bonum tempus. Stationaria mediocritatem.

Mercurius in Geminis combuſtus ventos adducit. Occidentalis bonam rerum conditionem. Orientalis humores: Stationarius aëris mutationem.

De Planetis in Cancro.

Saturnus in Cancro combuſtus facit obſcuritatem, ventos, maris turbationem, Occidentalis tranquillitatem maris, Orientalis benè complexionatus eſt. Stationarius infirmitates chronicas & longas.

Juppiter in Cancro combuſtus, facit mare tranquillum. Occidentalis bonam rerum conditionem. Orientalis benè complexionatus eſt. Stationarius rerum copiam.

Mars in Cancro combuſtus, combuſtionem facit. Occidentalis infirmitates. Orientalis nihil. Stationarius calorem & ſiccitatem.

Venus in Cancro combuſta facit tempus tranquillum ſine vento. Occidentalis bonam aëris conſtitutionem. Orientalis tempus ſerenum.

Mercurius in Cancro combuſtus, facit tempeſtatem maris. Occidentalis mare tranquillum. Orientalis bonam complexionem & hominum ſanitatem.

De Planetis in Leone.

Saturnus in Leone combuſtus facit ventos & humorem. Orientalis bonum ſtatum & rerum conditionem. Stationarius ſiccitatem.

 Juppi-

Juppiter in Leone combustus ventos placabiles. Occidentalis convenientem rerum statum. Orientalis nihil. Stationarius infirmitates plurimas.

Mars in Leone combustus infirmitates facit. Occidentalis siccitatem. Orientalis rerum destructionem minatur. Stationarius infirmitatem.

Venus in Leone combusta siccitatem. Occidentalis Animalium infirmitatem. Orientalis bonam rerum conditionem. Stationaria mulierum impedimenta.

Mercurius sub radiis in Leone facit ventos. Occidentalis suffocationes hominum. Orientalis mediocrem rerum statum. Stationarius infirmitates plurimas hominum inducit.

De Planetis in Virgine.

Saturnus in Virgine combustus infirmitates inducit. Occidentalis difficultates rerum. Orientalis nihil. Stationarius infirmitates hominum.

Juppiter in Virgine combustus abundantiam rerum. Occidentalis bonam rerum complexionem & conditionem. Orientalis canitatem. Stationarius bonum rerum statum.

Mars in Virgine combustus infirmitatem. Occidentalis suffocationes in hominibus. Stationarius aëris siccitatem.

Venus in Virgine combusta siccitatem. Occidentalis bonam rerum conditionem. Orientalis, humores. Stationaria mulierum impedimenta.

Mercurius tempestates in aqua. Occidentalis siccitatem, Orientalis humorem.

De Planetis in Libra:

Saturnus in Libra combustus infirmitates oculorum. Occidentalis aëris turbationem. Orientalis ventorum frigidorum

rum flatum. Stationarius eſt febris quartanæ & infirmitatum Melancholicarum author.

Juppiter in Libra combuſtus bonam auram facit. Occidentalis ſanitatem, ſimiliter & Orientalis. Stationarius bonum tempus firmat.

Mars in Libra combuſtus facit ſiccitatem: Occidentalis pluvias, Orientalis turbationes aëris & tonitrua. Station. ſiccitatem.

Venus in Libra combuſta humorem. Occidentalis bonam complexionem. Stationaria mulierum impedimenta.

Mercur. in Libra comb. ventos. Occidentalis ſerenitatem. Orientalis aliquantulum humidus erit. Stationarius, rerum impedimenta.

DE PLANETIS IN SCORPIO.

SAturnus in Scorpio combuſtus facit aëris frigus. Occidentalis congelationes, Orientalis ventorum Septentrionalium flatum, Stat. obſcuritatem.

Juppiter in Scorpio combuſtus facit pluviam, Occidentalis ſerenitatem aëris, Orientalis bonum tempus & piſcium copiam, Stationarius tempus tranquillum & quietum.

Mars in Scorpio combuſtus humorem facit. Occidentalis ſerenitatem. Orientalis ventos, Stationarius tonitrua & fulgura.

Venus in Scorpio combuſta facit humorem, Occidentalis pluviam, Orientalis pluviam. Similiter ſtationaria mulierum impedimenta.

Mercurius in Scorpio combuſtus facit tempeſtates. Occidentalis ſiccitatem. Orientalis pluviam, Stationarius aëris inſtabilitatem.

De Planetis in Sagittario.

SAturnus in Sagitt. combuſtus pluvias & nebulas facit. Occidentalis ſiccitatem. Orientalis frigus & congelationem. Stationarius infirmitates hominum.

Juppiter in Sagitt. combuſtus bonum rerum ſtatum. Occidentalis pluvias. Orientalis ſerenitatem. Stationarius proſperitatem hominum.

Mars in Sagitt. combuſtus facit ſiccitatem. Occidentalis infirmitates multas. Orientalis nihil. Stat. inſalubritatem.

Venus in Sagitt. combuſta facit pluvias. Occidentalis ventum & frigus. Orientalis bonum rerum ſtatum, Stationaria tempus mediocre.

Mercurius in Sagitt. combuſtus indicat pluvias. Occidentalis ſiccitatem. Orientalis ſanitatem & bonum rerum ſtatum.

De Planetis in Capricorno.

SAturnus in Capric. combuſtus ſignificat ventos meridionales cum nebula aëris; Occidentalis frigus. Orientalis ventos frigidos ſeptentrionales, Stat. obſcuritatem.

Juppiter in Capric. combuſtus facit aërem humidum. Occidentalis pluviam. Orientalis bonum ſtatum. Stationarius tranquillitatem.

Mars in Capric. combuſtus nubes generat. Occidentalis ſiccitatem. Orientalis calorem. Stationarius aëris temperamentum.

Venus in Capric. combuſta frigus facit. Occidentalis frigus. Orientalis pluviam. Stationaria temperatum.

Mercurius in Capric. combuſtus facit pluvias. Occidentalis pluvias. Orientalis aëris obſcuritatem. Stationarius aëris diverſitatem.

De Planetis in Aquario.

Saturnus in Aquario combuſtus facit aëris frigus. Occidentalis tempeſtatem maris. Orientalis pluviam. Stationarius aëris mediocritatem.

Juppiter in Aquario combuſtus facit bonum rerum ſtatum. Occidentalis pluviam. Orientalis ſanitatem. Stationarius pluviam & rerum copiam.

Mars in Aquario combuſtus ſiccitatem. Occidentalis & Orientalis ventorum flatum. Stationarius tempeſtatem maris.

Venus in Aquario combuſta indicat nebulas. Occidentalis calorem. Orientalis pluviam & aëris humorem. Stationaria humorem.

Mercurius in Aquario combuſtus facit nives. Occidentalis frigus & aëris turbationem. Orientalis pluviam. Stationarius turbat aërem.

De Planetis in Piscibus.

Saturnus in Piſcibus combuſtus facit nubes. Occidentalis pluvias. Orientalis bonam complexionem. Stationarius aëris mutabilitatem.

Juppiter in Piſcibus combuſtus indicat augmentum piſcium. Occidentalis bonam rerum conditionem. Orientalis tranquillitatem in aquis & ſanitatem in corporibus, Stationarius competentem rerum ſtatum.

Mars in Piſcibus combuſtus ſignificat piſcium penuriam. Occidentalis ſiccitatem, Orientalis fulgura tonitrua. Stationarius infirmitates animalium.

Venus in Piſcibus combuſta portendit frigus. Occidentalis nives & humorem.Orientalis bonam rerum diſpoſitionem: Stationaria aëris inconſtantiam.

Mer-

Mercurius in Piſcibus combuſtus inducit tranquillitatem aëris. Occidentalis bonam rerum complexionem. Orientalis tranquillitatem & bonum rerum ſtatum. Stationarius aëris mutationem.

CAPUT XII.

De Significationibus aſpectuum Planetarum ad ſe invicem.

CUm planetæ, præſertim ponderoſi aſpiciunt ſe in ſignis igneis aut conjunguntur in ſignis fixis, portendunt ſiccitatem aëris, & calorem, præſertim in æſtate. In hyeme autem temperamentum aëris. Si autem in ſignis terreis aſpectus talis erit: portendunt in hyeme magnum frigus, in æſtate autem aëris temperamentum. Sin aſpectus in ſignis aëreis fuerit, ſignificant magnos ventos. Sin demum in aquaticis, portendent humorem, pluvias, & aquarum inundationes. Et hæc quidem generatim dicta ſunt. Speciales autem regulæ ſingulorum ſunt iſtæ.

1. Saturnus conj. cum Jove vel cum aliis planetis, plurimis diebus ante & poſt, turbationem aëris faciunt, propter tarditatem ſeparationis eorum ab invicem. In ſignis igneis ſiccitatem magnam: in aquaticis humiditatem, & continuas pluvias, in aëreis ventorum flatum.

2. Saturn. Qu. Opp. Sext. cum Jove in ſignis humidis, facit aëris turbationem, magnas pluvias, tonitrua, grandinem ante & poſt.

3. Saturn. conj. cùm Marte in ſignis humidis pluvias, grandines & tonitrua, præſertim æſtate.

4. Sat. qu. & opp. cum Marte facit aëris turbationem, in æſtate tonitrua fulgura coruſcationes.

5. Sat.

5. Sat. conj. quadr. & opp. cum Sole pluvias, dies obscuros, grandinem, tonitrua, & dies frigidos, ante & post producit, præsertim in signis aquaticis.

6. Sat. conj. quadr. & opp. cum Ven. pluvias affert & frigora, præsertim in signis aquaticis, in æstate calorem remittit, in hyeme frigus auget.

7. Sat. conj. quadr. & opp. cum Mercur. in signis humidis pluvias, in æstate fulgura, tonitrua & tempestates, cum aëris mutatione gignit.

8. Jupp. conj. quadr. & opp. cum Marte in signis humidis tonitrua & coruscationes præsertim æstate. In hyeme autem nives facit & frigus.

9. Jupp. conj. quadr. & opp. cum Sole facit ventos in æstate, tempestates, tonitrua, coruscationes. In hyeme aëris temperamentum.

10. Jupp. conj. quadr. & opp. cum Ven. nives & lenes pluvias, præsertim in signis aquaticis facit, in aliis autem signis serenitatem aëris.

11. Jupp. conj. quadr. & opp. cum Merc. ventos in æstate, tonitrua, & coruscationes.

12. Mars conj. quadr. & opp. cum Sole in signis igneis siccitatem denotat, in aquaticis autem imbres pluvias & tonitrua.

13. Mars conj. quadr. & opp. cum Ven. in signis præsertim humidis, humorem aëris & pluvias facit.

14. Mars conj. quadr. & opp. cum Merc. in signis calidis calorem efficit, in siccis siccitatem, in aquaticis humorem & pluvias, in æstate tamen magnos ventos tonitrua coruscationes.

15. Ven. conj. quadr. & opp. cum Merc. pluviam generat, in æstate aëris turbationem & tempestatem, præsertim

in

in signis aquaticis. Ad extremum autem notandum, quicquid dictum est de conj. quadr. & opp. esse etiam intelligendum de sext. & trig. licet isti duo aspectus sint minoris significationis quàm tres prædicti.

CAPUT XIII.

De significationibus aspectuum Lunæ cum Planetis.

I.

DE his aspectuum significationibus sequentes traduntur Regulæ. Luna conj. quadr. aut opposs. cum Sat. in signis humidis, facit aërem frigidum & nebulosum, & si recedens à Sat. tendat ad Solem erit major aëris diversitas.

2. Luna conj. quadr. & opposs. cum Jov. in Ar. & Scorp. nubes carminatas facit in toto cælo. Quod si accesserit Mars, erunt tonitrua & coruscationes in æstate, si autem Luna recedens à Jove applicuerit se aliquo aspectu ad Merc. erunt venti. Jovis quadr. vel conj. cum Luna ventos laxativos efficit.

3. Luna conj. quadr. & opposs. cum Marte in signis humidis pluviam facit: in calidis & igneis, nubes croceas; in æstate tamen sæpiùs tonitrua & coruscationes.

4. Luna conj. quadr. & opposs. cum Sole in signis, maximè humidis, humorem aëris producit. Verùm cùm Luna recedens à Sole applicat se ad Sat. erit apertio portarum.

5. Luna conj. quadr. & opp. cum Ven. maximè in signis aquaticis pluvias facit. Unde recedens à Ven. & se applicans Marti facit apertionem portæ, & erit aëris mutatio.

6. Luna conj. quadr. & opposs. cum Merc. in signis humidis (cùm ipse retrogradus est) humiditatem facit & ven-

tos, & maximè cùm Luna recedens à Merc. applicat se Jovi, tunc est apertio portæ ventorum.

Ad extremum tamen notandum in perspicienda aëris mutatione, non solùm planetarum aspectus attendendos esse; verùm etiam conjunctiones stellarum fixarum, præsertim nebulosarum, naturas etiam signorum, Lunæ mansiones, anni tempora, & planetarum fortitudines.

CAPUT XIV.

De aliis vaticinationibus desumptis ex ortu Lunæ in 12. signis Zodiaci secundùm Diophanis opinionem.

SUnt qui multum tribuunt Diophanis vaticinio, qui ex signo in quo luna exoriente caniculâ fuerit reperta, hæc prædicit. In Ariete Luna degente, si canicula exoriatur, portendit animalium gregatim pascentium perniciem, olei fertilitatem, frumentique penuriam. in Tauro cùm Luna exoriens fuerit significat multas pluvias, grandinem, rubiginem, & varias plagas.

In Gem. vini, frumenti, omniumque fructuum fertilitatem, sed annum pestilentem, in Cancro siccitatem cum maxima frumenti penuria: In Leone frumenti vini & olei, ubertatem & omnium rerum aliarum copiam, terræ motus & inundationes.

In Scorp. imbrium multitudinem, & magnam omnium rerum fertilitatem, quadrupedum copiam, mulierum abortus. In Libra olei penuriam, vini copiam, frumenti corruptionem, lignosorum fructuum abundantiam. In Scorp. apum penuriam, & malam aëris constitutionem. In Sagitt. annum pluviosum, sed fertilem frumenti & volucrum multitudinem, pecorumque interitum.

In

In Capric. magnas pluvias, frumenti vini & olei fertilitatem. In Aqu. ſiccitatem cum peſtilentia, locuſtarum abundantiam & frumenti corruptionem.

In Piſcibus multas pluvias, volucrum interitum cum vini & frumenti copia, & morbis hominum.

CAPUT XV.

De alia prognoſticatione ex ortu & occaſu conjunctionevè certarum ſtellarum.

SUnt qui ex ortu vel occaſu aut conjunctione certarum ſtellarum, varia colligunt & prædicunt, cujusmodi ſunt ea quæ modò ſubjungemus.

1. Arcturi ſydus non ſine procelloſa grandine emergit, Columellâ & Plinio teſtibus; præſertim cùm Lunæ & Martis radiis extimulatur, & auxiliarem opem ſortitur.

2. Saturnus cùm accedit ad arcturum corpore, aut radiis, pluvioſam tempeſtatem aliquot continuis diebus decernit.

3. Succularum & hyadum occaſus, terrâ marique turbidus eſt. Unde eo tempore periculoſæ navigationes ſunt, ac proinde naves in portum ſubducendæ ſunt, veriora hæc ſunt, ſi Mars ſydera illa acceſſu ſuo extimulàrit & Mercurium ex quadrato vel oppoſito radio intueatur.

4. Vergiliarum occaſus matutinus ſi nubilo cælo accidat hyemem pluvioſam denunciat, ſi ſereno cælo, aſperam.

5. Ven. aut Mars per Plejades tranſiens pluvioſam ciet tempeſtatem aliquot diebus.

6. Hiodorum quoque ortus & occaſus pluvioſam tempeſtatem pronunciat. Sed ut in hoc, ita in aliis conſideranda loci conſtitutio, quæ aſtrorum influxum variare ſolet. Et

ita sæpe damnantur observationes cùm non respondent, nec verò debebant respondere cùm pro alio factæ fuerint cælo. Ita præsentes ut plurimùm Italiæ serviunt, sed etiam aliis regionibus ab industrio observatore accommodari poterunt.

7. Syrii ortu matutino feruent & fluctuant in cellis vina (quod accidit quoque Procyonis occasu Heliaco) moventur stagna, canes in rabiem aguntur, syderatione pisces capiuntur; exurit verò omnia tempestate æstuosissimâ, si Mart. aut Jov. in signis igneis permisceantur.

8. Orion tempestates denunciat, quod & Virg. notavit 7. Æneid.

Sævus ubi Orion nimbosis conditus undis

& 1. Æneid.

Cùm subitò assulgens fluctu nimbosus Orion.

Orione exoriente ita ut Jupiter Soli, aut Mars Jovi permisceatur, ejus sideris vehementia sub ortum Syrii dat tempestatem, & per aquilonem difflat aëris corruptelam. Etesii egelidi & sicci perflabunt, & autumnus salubris erit. Atque, eadem etiam Jovis & Mercurii conjunctio promittit.

9. Aselli quoque cum Luna, vel præsepe cum eadem conjunctum magnam pluviarum significationem habent, aut si ex adverso vel quadrato aspectu Juppiter utrosque in procellosis aut humidis signis deprehensos aspiciat, Lunâ tanquam internunciâ à Mercurio ad Jovem procedente.

10. Aquilæ matutina fulsio omnibus hybernis floribus, & præcocibus si interlunium incidat, injuriam ex pruina minatur.

11. Virgiliarum occultatio & emersio & succularum tempestuosi sideris, si pluviosum tempestatem moverit, & vitis & olei germinationem suffocabit. Ex hac causa Democritus olei prævisâ caritate, magnâ vilitate olivas in toto tractu co-

coëmit, mirantibus qui paupertatem & doctrinam quieto homini, cordi esse sciebant: atque ut apparuit causa, & ingens divitiarum accessio, restituit mercedem, contentus se ita probâsse, opes sibi in promptu esse cùm vellet. Eadem Sextio Romano Philosopho Plinius adscribit lib. 18. & Aristoteles Thaleti lib. 7. polit. & Cicer. lib. 1. de divinat.

12. Syrii vespertinus occasus, si biduo distet ex quacunque parte à plenilunio, segeti rubiginem & floribus uredinem prænunciat. Quâ de causâ agricolæ in die S. Marci & Rogationum, de segetibus & earum fructibus, judicium faciunt.

13. Procyonis occasus vespertinus, si interlunio eveniat, florenti viti & oleæ germinanti, injuriam ex uredine affert. Hinc ex die S. Urbani plebecula augurium de vindemia sumebat ad correctionem Calendarii, inposterum autem ex quinto Junii idem facere poterunt.

14. Aquilo vespertinus exortus, & Arcturi occasus, si in plenilunium incidit, olei & vini sterilitatem, utroque tum florente denunciat. Sic Agricolæ ex S. Medardi die ad sextam Julii festo, pluvioso vel sereno, de messe ominantur, sumpto fortassis vaticinio Syrii ortu, qui maximam vitibus pestem, nimirum carbunculum, uvæ, acinis in callum præcoctis, afflare solet.

15. Posuit etiam Virgilius in Georgicis multa tempestatis signa, & experientiâ & multorum authoritate comprobata, quæ his sequentibus versibus continentur.

Luna revertentes cùm primùm colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprênderit aëra cornu,
Maximus agricolis, pelagoque parabitur imber.
Atsi Virgineum suffuderit ore ruborem
Ventus erit, vento semper rubet aurea Phœbe.

Sin ortu in quarto (namque is certissimus auctor)
Pura, nec obtusis per cœlum cornibus ibit,
Totus & ille dies, & qui nascetur ab illo
Exactam ad mensem, pluviâ, ventisque carebunt,
Votaque servati solvent in littore nautæ
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.
Sol quoque & exoriens, & cùm se condet in undas
Signa dabit, solem certissima signa sequuntur,
Et quæ manè refert, & quæ surgentibus astris,
Ille, ubi nascentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres, namque urget ab alto
Arboribusque satisque Notus, pecorique sinister,
Aut ubi sub lucem, densa inter nubila sese
Diversi erumpunt radii, aut ubi pallida surgit
Tithoni croceum linquens aurora cubile
Heu malè tum mites defendet pampinus uvas?
Tum multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hic etiam emenso cùm jam decedet olympo
Profuerit meminisse magis, nam sæpè videmus
Ipsius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluviam denunciat, igneus Euros,
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tum pariter vento nimbisque videbis
Fervere, non illâ quisquam me nocte per altum
Ire, neque à terra moveat, convertere funem

Hæc Virgilius, quæ tamen potiùs ad rustica Prognostica, de quibus paulò post agemus, quàm ad Astrologica pertinere videntur, & ferè omnia hoc versu continentur.

Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Non

Non pauca eò ſpectantia poſuit author tam in Meteorologia ſua quàm in Mundo curioſo quàm etiam in Polemica.

De Navigatione haec Observantur.

CAvent Nautæ dum inchoant navigationem ne in aſcendente ſit Canc piſc. Aqu. aut Luna in aliquo prædictorum cum Jove vel Ven. aut habeat aſpectum Sext. vel Trig. cum Marte vel Saturn. nevè aſpiciant Lunam iſti planetæ in aſcendente vel ne Luna vel Sol ſit in aſcendente Quad. vel Opp. item ne ſint in Aſcendente cum Luna ſtellæ procelloſæ, quales ſunt, Plejades, Hyades, Orion, Arcturus, Aldebaran, Aatares, Hercules, Delphin, Argos navis, canis major vel minor, Hæda, capella; nevè dominentur aſcendenti Planetæ malefici aut Luna, ſed potiùs reſpiciatur ab aliquo benigno planeta Sext. vel Trigono. Mars in decima vel 11. inventus nocet.

CAPUT XVI.

De vulgaribus Prognoſticis.

NOn ſolùm Aſtrologi ſed etiam Nautæ ac ruſtici ſua habent prognoſtica, hoc eſt certas quasdam obſervationes, ex quibus de futuro anni ſtatu judicare ſolent, & licet certiſſimæ non ſint, aliquid tamen probabilitatis habent, & fortaſſis plùs quàm ea quæ Aſtrologi ex ſtellis conjiciunt.

Colligit autem vulgus *Primò* ſtatum 12. Menſium anni, ex ſtatu certarum dierum Januarii, deinde multa alia in hunc modum. Primus dies Januarii denotat tempeſtates Auguſti, ut videlicet qualis ipſe eſt, talis judicandus ſit futurus Auguſtus. Aurora pura ejusdem primi diei Januarii portendit piſcium copiam, ventus nocturnus peſtem inter homines.

Secun-

Secunda dies Januarii ſtatum Septembris denotat. Serena dies ovium multitudinem portendit, & ventus morbos hominum.

Tertia Januarii ſtatum & naturam innuit Octobr. ſi ſit ſerena, portendit magnas tempeſtates, ventus nocturnus mortes pecudum.

Quarta Novembrem explicat. Solis in ea ſplendor, & ventus nocturnus, morbos ac peſtem præſagiunt.

Quinta Decembrem, ejus ſerenitas & ventus, bella ſolent præcedere.

Sexta dies ante meridiem Februarium, poſt meridiem Januarium.

Septima ante meridiem Aprilem, poſt meridiem Martium.

Octava ante meridiem Junium, poſt meridiem Majum denotat.

Nona ante meridiem Auguſtum, poſt meridiem Julium ſignificat.

Decima ante meridiem Octobrem, poſt meridiem Septembrem dicit.

Undecima ante meridiem Decembrem, poſt meridiem Novembrem.

Duodecima & decima tertia totius anni ſtatum & conditionem portendunt.

22. Jan. cùm eſt ſerena, vini copiam denotat.

13. Febr. venæ ſecandæ aptiſſima cenſetur.

25. Dec. ſecundùm aliquos totius anni futuri ſtatum portendit; cùm eſt ſerena denotat annum fertilem, venti & imbres annonæ caritatem.

26. Dec. ſtatum Februarii depingit.

27. Dec. ſtatum Martij. 28. ſtatum Aprilis. Sed ſi fuerit ſerena, morbos infantium deſignat: ſi venti nocturni, famem.

29. Dec.

29. Dec. Majum exprimit, si sit serena, fructus tardos sed copiosos.

30. Dec. Conditionem Junii ostendit, & si dies fuerit serena, & venti nocturni, hortorum fœcunditatem.

31. Indolem Julii describit, & quidem ejus serenitas caritatem annonæ portendit.

Multi ex 12. diebus intra Natalem Christi & festum trium Regum interjectis de statu duodecim Mensium anni judicant, tribuentes ipsum diem Natalis mensi Januario, diem S. Stephani Februario, & sic sequentes mensibus sequentibus.

Alii ex die Conversionis S. Pauli de futuris anni eventibus juxta illos obvios versiculos.

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni,
Si fuerint venti designant prælia genti,
Si nix aut pluvia, designat tempora cara,
Si fuerint nebulæ pereunt animalia peste,
Ne credas certè, quia fallit regula sæpe.

Aliqui ex die Purificationis B. Mariæ de toto reliquo anni tempore indicium sumunt, ita ut si illa tota dies fuerit serena, totus reliqvus annus sit futurus serenus, sin pluviosus, ventosus, aut nebulosus, secundùm partem aut totum, etiam reliqua pars anni talis sit futura. Præterea cùm ea dies est serena, denotat plures nives & majora frigora illius anni, diciturque ursus de novo in antrum se recipere. Sin autem sint nives, & cœlum sit turbidum, significat finitam esse hyemem, & secuturam magnam serenitatem, & ursus ex suo antro progressus, ampliùs non redit ad illud.

Si in Festo S. Joannis Bapt. pluat, officit id avellanis.

Si 25. Julij qui est festo S. Jacobi Majoris sacer, pluat: signum id esse volunt glandium quernarum; si serenum sit, copiæ.

29. Sept. qui est festo S. Michaëlis sacer considerantur ab aliquibus globuli quercuum ramis adhærentes aut foliis, gallæ dicti: in quibus si repertus fuerit vermis portendi credunt annum benignum: si araneus, malignum: si musca, mediocrem: si nihil, letiferum.

In festo S. Urbani de vindemia augurantur. Si enim sit dies serena bona erit vindemia. Si turbulenta, mala.

In die S. Medardi qui est 10. Julii judicant agricolæ de futura messe quæ bona erit, si dies illa sit serena: non bona, si pluviosa.

In diebus Rogationum Vinitores humidam condemnant tempestatem eò quòd non admodùm lætum vini proventum expectent.

In festo S. Matthiæ de futura glacie judicant Germani: si enim reperiat glaciem, ajunt nullam aliam illo anno futuram. Si non reperiat, aliam futuram asserunt, atque adeò etiam frigus.

Si Januar. Febr. & Mart. sint sicci: Aprilis & Majus humidi: futuram anni fertilitatem promittunt in Germania. Et cùm in Majo leniter pluit, pluere iidem butyrum dicunt, alii verò aurum & argentum. Itali ex siccitate Januarii fertilitatem anni colligunt. Poloni ex siccitate Martii & humiditate Maij eandem ominantur.

Si *primus dies Jan.* sit serenus & sine vento, erit annus fertilis & bonus. Si est cum vento Orientali, erit eo anno lues pecorum. Si ventus occidentalis, mortalitas magnorum virorum. Sin ventus meridionalis, mortalitas populi. Sin demùm ventus septemtrionalis, erit malus & sterilis annus. In quibus fides sit penes asserentes. Si tempore conceptionis flat Boreas, nascetur masculus: sin auster, generabitur fœmella.

Februario mense est Cathedra S. Petri. Si illo dies fuerit frigida, durabit frigus diebus 14. In Febr. si hyems non fuerit, erit in Paschate.

Martius

Martius quot habet nebulas, totidem post Pascha pruinæ timentur & quoties ros in Martio cadit, toties in Augusto nebula consurgit.

Aprilis. *Ante diem Marti strepitum quot rana diebus*
Edit, post illum tot quoq; muta silet.

Maij. pluviæ vinum faciunt exiguum.

Junius. *Baptistæ fuerit si lux pluviosa Joannis*
Ingrati messis plena laboris erit.

Augustus. Si dies S. Bartholomæi clara, totus Autumnus bonus.

September. Septembris 1. si clara, totus mensis clarus & vinum copiosum.

November. Si die S. Martini os anseris in pectore fuerit clarum & album, hyemem prænotat nivosam: si nigrum, pluviosam.

EX FESTIS DIEBUS HAEC PROGNOSTICA COLLIGUNTUR.

Ex Purificat.	*Ad Purif. claro si Titan æthere fulsit* *Nix major forsan, quàm fuit antè, cadet.*
Ex die S. Vinc.	*Vitis abundantes tunc fundet prodiga fructus,* *Cùm tua Vincenti lux, sine nube fuit.*
Ex Cath. S. Pet.	*In Petri cathedra frigescit quando, diebus* *Durabit frigus tunc quater atq; decem.*
Ex S. Matthia.	*Matthias glaciem frangit, si invenerit illam,* *Ni frangit glaciem, tunc, mihi crede, facit.*
Ex Dominica Oculi.	*Circa* Oculi *velox deponit cornua cervus* *Infligens duris fortiter arboribus.*
Ex S. Philippi.	*Si friget* Philip *segetes plerumq; peribunt.*
Ex S. Urbani.	*Urbani si clara dies, spes optima vini est.*
Ex Mens. Mart. Majo.	*Si* Martis *nitidus fuerit, pluviosus Aprilis* *Et* Majus *gelidus frugifer annus erit.*

 Ex

Ex die S. Med.	*Humida Medardi pluvias lux usq; minatur*
Ex S. Joh. Bapt.	*Baptistæ pluviæ messem sterilescere cogunt.*
Ex B. V. Visit.	*Si pluit ad Mariam visitantem tunc pluet ultrà.*
Ex S. Jacobi.	*Si pridie Jacob lucet, tunc horrea rident.*
Ex Assumpt.	*Clara dies Assumptæ spondet svavia vina.*
Ex Festo SS. omnium	*Luce in Sanctorum cunctorum cædito fagum* *Si fagus sicca est hyemem mitem, si humida duram.*
Ex S. Martini Episc.	*Martini fuerint toto si nubila cælo* *Inconstans frigus turbida fiet hyems* *Sin verò Phœbus pelluxerit æthere claro,* *Intensum frigus, sicca sequetur hyems.*
Ex S. Andreæ.	*Andreæ lucem certò comitatur hyems, si* *Adventum forsan distulit ante suum.*
Ex Nat. Christ.	*Cùm Lunâ crescente redit natalis JESU* *Tunc annus sequitur fertilis atq; bonus.* *Quò propior fuerit Domini natalis JESU* *Cùm nova recrescens cornua Luna parat,* *Annus eò melior, tu experto crede, sequetur* *Qui nos optatâ fertilitate beet.* *Quò fuerit Domini natalis JESU* *Cùm sua jam minui cornua Luna finit.* *Annus eò pejor, tu experto crede, sequetur.*

Alia prognostica ex singulis mensibus anni.

Januarii 1. si habeat ventos sub noctem, pestilens: Si sit serena, piscium abundantiam. Initium Jan. & finis, si sint sereni totum annum felicem prædicunt. Circa calendas Jan. ligna præcisa non putrescunt, nec verminant, imò quodammodo lapidescunt. Jan. 2. si clarè luceat, fæcunditatem ovium præsagit. 3. si sit clara, tempestatum multitudinem & pericula. 4. si fuerit serena annum nebulosum, ac pesti obnoxium.

Februa-

Februarius calidior Martium frigidiorem adducit. Tertia dies Bacchanaliorum serena constanti luce, totam quadragesimam fore similem prænunciat. Frigus circa 22. hyemis continuationem præcedit. Si Cathedra S. Petri aut S. Matthiæ gelida fuerit, dies 40. sequentes frigebunt.

Martius siccus si fuerit, Aprilis humidus, Majus frigidiusculus copiam frumenti, vini, fœni, spondent. Martii tonitrua sunt præsaga ubertatis. Quot Martius nebulas tot imbres tempestuosos totus annus habiturus. Quot item rores tot pruinas post Pascha, & in Augusto nebulas numerabis. 12. aut 17. Martii, ciconiæ plerumque cum tristi redeunt tempestate. 25. ante exortum Solis certam promittit anno serenitatem. Grues hoc mense & Anates maturè advolantes caloris propinquitatem prænunciant.

Aprilis humidus favet agris. Dies Palmarum celebratur in nivibus si dies Purificationis fuit in floribus. Diei palmarum serenitas ubertatem præsignat. Pluviæ Parasceves temperatam anni siccitatem cum fertilitate. Paschatis pluviæ pabuli inopiam & siccitatem; serenitas, copiam & ubertatem promittunt.

Majus frigidiusculus non frigidus amatur. Diei Ascensionis Domini, modicæ pluviæ, pabuli inopiam, serenitas copiam. Pentecostes pluviæ nil boni designant. Plejadum exortu pluviæ vitibus pestiferæ, quod tamen accidit die 8. Jun. die S. Medardi. Pentecostes festo se autumnus coæquat Maij tonitrua sterilitatem præcedunt.

Junius Maij pluvias libenter imitatur, & nisi sint nimiæ, implet horrea frumento. Nicomedis & Medardi serenitatem quatuor hebdomadæ imitantur. Corporis Christi serenitas laudatur. Pluvias S. Joannis 40. dies pluviosi seqvuntur, & nucum certa pernicies.

Julius. Margaris os canis est (id est oritur die S. Margaritæ canicula) caudam Laurentius addit (id est finit). Si pluvia ceciderit die Julii 2. pluet 40. diebus. Dies S. Jacobi ante meridiem, signat tempus ante Nativitatem Christi: tempus pomeridianum, signat tempus post Nativitatem, & quidem eorum serenitas frigus, pluviæ calorem, inconstans tempestas optimam mediocritatem. Canicula in ortu si fuerit turbida, pestilentiam affert.

Augustus. Serenitas Augusti maximè circa festum S. Laurentii vino est utilis, uvæ maturantur, & præstans vinum afferunt. Assumptio B. V. augustior etiam vini copiam notat, S. Bartholomæi diem Autumnus imitatur.

September. Si prima Sept. fuerit serena, quatuor hebdomadis serenat. Si autumnus serenus fuerit ventosa hyems efficitur. Circa festum S. Michaelis si copia sit pomi querni, multum fore nivis ante Nativitatem creditur.

October. Arbores folia tardiùs dimittentes grande hyemis frigus ominantur, folia autem dissipata sequentis anni sterilitatem indicant.

November. Circa festum omnium SS. abies incisa si appareat siccior, hyemem calidiorem fore innuit, si humidior frigidiorem. S. Martini pluviæ & nubes hyemis inconstantiam produnt: serenitas hujus diei constans, prænunciat frigus: pluviæ secuto mox frigore, caritatem. 24. Novembris qualis fuerit, talis Januarii & Febr. 25.

December. Hujus mensis tonitrua ventos. Viriditas Nativitatis nives in Paschate adducit, Nativitatem præcedens vesper, & nox, & ipsa natalis dies, si absque nubibus fuerit, copiam frumenti, vini, frugum & piscium, designat: si fuerint venti & pluviæ, pestem.

Item

Item aliæ singulis mensibus observationes non universales.

JANUARIUS.

1. Jan. *Prima dies mensis & septima truncat ut ensis.* Beda ait 24. sunt dies Alcyonii quibus mare quiescit, incipiunt. Si tonat cum Luna est in Pisc. fructus damna patiuntur. Si hic mensis non fuerit frigidus, catharros & morbos adducit. Qui hoc mense nascuntur solent esse æstuosi & humidi. Nives Januariæ nocent plantatis recenter arboribus. Si nives sint hyeme raræ, frumentum patitur. Nimia hyems nocet piscibus.

FEBRUARII.

Quarta subit mortem, prosternit tertia fortem, hoc est, his diebus morbi inchoantes sunt periculosi. Die S. Valentini si gallinæ pro incubatu collocentur, pulli pereunt, aut cæci nascuntur. Si tonat dum Luna est in Pisc. damnum oves accipiunt. 28. hujus mensis Favonii flare incipiunt. Hoc mense lupi coëunt inde fiunt ferociores. Si die Purificationis fuerit serenitas, linum copiosum nascetur. Quot diebus ante Purificationem alauda canit, totidem postea silet. Si aves hoc mense captæ inveniantur pingves notant frigora & nives post Pascha, nam naturâ duce prospiciendo futuræ fami propter nives, se magis saginant. Si Sol splendeat in Bacchanalibus, triticum bene provenit, & autumnalis siligo. Qualis feria secunda Bacchanaliorum, tale solet esse Pascha, quâ die si aura fuerit serena, piscorum promittit bonum proventum. Si dies secunda Bacchanaliorum, vel Cinerum ventosa, tota quadragesima ventosa. Neque hoc mense neque sequenti lac vaccinum salubre, quia betulis vescuntur. In fine hujus mensis capiuntur haleces. Quantum frigus in nocte cathedræ S. Petri tales 40. consequentes dies,

dies, & si hâc nocte gelu non fuerit, ampliùs non erit. Quale gelu vespere & nocte S. Matthiæ, tale 40. diebus sequentibus.

MARTIUS.

Tot pluviæ per annum futuræ, quot Martius caligines habuit, & quot rores, toties gelu post Pascha. Die 13. perflant venti quos Onitrias vocant. Albumasar docet, cùm Sol primum gradum Arietis ingreditur, ut facias duos pectines, unum è dextro, alterum è sinistro cornu Arietis: & si quidem tibi doluerit pars dextra pecte dextro pectine, si sinistra sinistro, effectum bonum percipies. Pisces coëunt, inter Pascha & festum S. Jacobi, ideo tunc eorum esus insaluber. Circa festum S. Georgii anseres feri ad nos redire solent.

APRILIS.

Si tonuerit dum Luna est in Tauro patietur damnum siligo & hordeum. Si post festum S. Marci aut Mauricii Lunæ decrescenti conjunctus fuerit Saturnus, vinum dabit modicum. Hoc mense quercus aperitur, aura est inconstans quia cum sole oriuntur Plejades, Hyades, Hædi, stella Orionis. Tunc arborum folia aperiuntur. Sedecim septimanis ante S. Jacobum cuculis incipit suos edere sonos, die Palmarum redeunt hirundines.

MAJUS.

Die SS. Philippi & Jacobi solet aliqua tempestas fieri Si gelu accidat, flores corrumpit. Si tonat hoc mense sæpiùs, inducit sterilitatem. Si die S. Urbani pluit, vinum habebitur modicum, si serenat, bonum. Si tonuerit dum Luna est in Geminis, dat florum ubertatem. In fine hujus mensis alaudæ nidificant. Die Pentecostes

ſtes ſi pluerit, annum innuit malum. Vini fertilitas ex duabus ultimis Maij diebus cognoſcitur, unde verſiculi.

Ignorat proprium quid ſit venundare vinum
Si finem Maij non videt ipſe priùs

JUNIUS.

Si tonet hoc menſe prodeunt quidem benè ſegetes, ſed morbi inter homines ac jumenta oriuntur. Qualis eſt dies S. Medardi aut Corporis Chriſti, tales 40. ſequentes. Dum floret ſambucus etiam vinum. Si die S. Joannis pluit, etiam 4. diebus ſequentibus; ſed nuces intereunt.

JULIUS.

Si pluat Julii 11. pluit 4. Septimanis. Si die S. Jacobi pluit, vel triduo ante, glandes pereunt. Cùm triticum floret, ſerpentes ſunt debiles aut etiam moriuntur. Ajunt profuturum poculum aureum hoc menſe factum Sole exiſtente in Leone, ſi ex eo bibat qui cordis aut ventriculi dolores patitur. Si initium Canicularium fuerit nubilum peſtem affert, ſi ſerenum ſanitatem. Eteſiæ flare incipiunt dum Sol intrat Leonem & durant 40. diebus, quos octo diebus alii venti præcedunt.

AUGUSTUS.

Si dies S. Laurentii ſerena, etiamſi modicum pluerit, bonum vinum & copioſum colligitur. Idem eſt de die Aſſumpt. B. V. Talis Autumnus qualis eſt dies S. Bartholomæi, ſi tonet cùm Sol eſt in Virgine largas pluvias & ad dies 50. duraturas notat.

SEPTEMBER.

11. Sept. ſi non pluerit, autumnus fit ſiccus. Die S. Matthæi ſi fuerit ſerenum, anno ſequenti copia vini dabitur. Si

die S. Michaelis tonet, copiosa seges, fructus arborum pauci, & venti crassi.

OCTOBER.

Si Quercus multùm fructificavit, gravis & longa futura hyems. Si ante occasum Plejadum pluit, annus fertilis: si pluit dum occidunt, annus mediocris: si post earum occasum pluat, annus malus & hyems longa. Nuces hoc mense decidua quomodo perseverant ita constans hyems futura. Cùm primùm nix mense isto ceciderit, computa quot diebus id acciderit à Novilunio, tot enim nives erunt hyeme, idem. Incipiunt Judæi primum librum Moysis legere.

NOVEMBER.

Si tonet cùm Luna est in Sagittario, seges in montibus bona, sed in vallibus iniqua. Quale tempus tertiâ die à S. Martino talis Martius.

Dum sacra Martini recolo, mox Solis ab ortu
Plejades in gelidas præcipitantur aquas.
Illa dies toto fuerit si nubila cœlo
Inconstans frigus turbida fiet hyems. Item.
Si pluit in festo Processi Martiniani
Quinquaginta solet continuare dies.

DECEMBER.

Qualis 4. Dec. talis ipse December imò totus annus sequens. Qualis 5. Dec. talis Januarius, qualis sexta Dec. talis Februarius & sic deinceps. Si die S. Andreæ in Nov. vitrum aquâ purâ ita repleveris ut quasi monticulus emineat, & sic reliqueris, agnosces anni futuri indolem. Si enim aqua sic manserit, siccus annus erit: si sponte defluxerit erit humidus.

Aliae

ALIAE OBSERVATIONES CIRCA ANNI QUATUOR TEMPORA EX HIPPOCRATE.

SI circa æquinoctium Autumnale sub Plejadibus tempora sint humida, etiam hyems erit humida. Si frigidum ver ac siccum, etiam æstas nubila atque sicca.

Ver si nimis humidum fructus arborum putrescunt: si æstuosum, citò adolescunt sed verminant: fructus & alii flores erunt quidem præcoces sed non odorati. Si siccum & frigidum ver, in fine ejus circa plenilunium erit gelu, & pauci fructus, vinum modicum, si siccum & valde ver calidum, fruges paucæ, fructus etiam arboris pauci sed boni. Si fuerit frigidum, fructus tardi.

Æstas. Si fuerint multæ pluviæ, fructus putrescent & paucæ erunt messes, sed morbi multi. Si æstas sicca, messis pauca, & pisces intereunt, & morbi capitales oriuntur. Si æstuosa, fructus multi, sed sanitas hominum vapulat. Si frigida, sana est, sed fructus tardè maturescunt.

Autumnus si est humidus, omnia putrefacit. Si in fine humidus, annum sequentem sterilem proclamat. Si initio siccus, modicum millii proventum. Si calidus morbos. Si frigidus, paucos arborum fructus.

Hyems sicca & frigida est bona. Si humida & frigida sit, arboribus nocet maximè calorem requirentibus. Tepida & humida, sementem necat, & hominibus est insalubris. Mediocres nives agros fæcundant. Humidi venti, fructibus arborum noxii.

ALIAE OBSERVATIONES ETIAM PARTICULARES, ET PARIS MOMENTI.

JANUARIUS.

1. Jan. serotina, prænotat turbas: ventosa sub noctem, pestes, serena, copiam piscium. Initium & finis mensis si se-

renent totum annum ſpondent bonum. Ligna quæ circa 1. Jan. cæduntur, ſunt imputribilia, & à vermibus ſecura, & quaſi lapideſcunt cum ſenio. 2. Jan. ſerena, fæcunditatem notat ovium. 3. Jan. tempeſtates periculoſas. 4. Jan. ſerena, annum nubilum & peſti obnoxium. 15. Tumultus. Qualis Januarius talis putatur fore totus annus; ut ſi varius, etiam annus talis.

FEBRUARIUS.

Quot diebus ante Purif. auditur alauda, tot poſt hoc feſtum ſilet. Dum poſt longum gelu terra ſubitò incaleſcit exhalationes fundit noxias. Die Purif. nix copioſa ciceris copiam præſignat. Cùm Febr. calidior, Martius ſolet eſſe frigidior.

MARTIUS.

Martius ſiccus & ſerenus commendatur, ſed aliis magis placet, ſi initiò ſit hiſpidus, in medio humidus ac lutulentus, in fine ſerenus. Pluviæ multæ in Martio nocent agris, nives item multæ frumento ſunt peſtiferæ. Menſis hic ſenibus exitioſus, quia multas affert mutationes; nam Hipp. lib. 3. Aphor. 1. Mutationes temporum potiſſimùm pariunt morbos, & in ipſis temporibus, magnæ mutationes caloris ac frigoris.

Martius ſiccus, Aprilis humidus, Majus frigidiuſculus, copiam frumenti, vini, fæni, promittunt. Tonitrua Martia adducunt ubertatem. Quot Martius nebulas tot imbres tempeſtuoſos annus habebit; quot item rores tot à Paſchate pruinas, & in Auguſto nebulas. Circa 17. Maij redeunt Ciconiæ ſed cum triſti tempeſtate. Si ante ſolis exortum die Annunc. fuerit ſerenum, ſequetur anni felicitas, Grues & Anſeres cùm tempeſtivè advolant, æſtatem eſſe in proximo pronunciant.

APRI-

APRILIS.

Aprilis humidus laudatur. Sed si Purificatio fuit in floribus Palmæ fiunt in nivibus. Palmarum serenitas designat ubertatem: pluviæ Parasceves siccitatem anni & sterilitatem, serenitas copiam & ubertatem. Nisi omnia prata viruerint in Aprili annus est sterilis. Quot diebus ante S. Marcum ranæ coaxant totidem postea silent. Quòd in Aprili sint plerumque pluviæ, ex eo fit, quia tum Plejades & Hyades oriuntur quæ sunt in ore Tauri. Si post festum S. Marci Luna decrescens jungatur Saturno, maximè est vitibus pestifera.

MAJUS.

Frequentia in Majo tonitrua sequentem annum sterilem reddunt. S. Pancratii festum serenum ditat vineas. Si vineæ plenilunii tempore floreant copiosa expectatur vindemia. A festo S. Servatii non timet ampliùs vitis frigora. Ascensionis pluvia inopiam, serenitas ubertatem notat. Pentecostes pluviæ nil boni afferunt. Sub S. Urbani festum pluviæ vineas perimunt & quale sub hoc festo cælum, tale totâ æstate. Maij tonitrua sterilitatem ferunt.

JUNIUS.

Junii pluviæ, dum non sint nimiæ, horrea implent. Festum S. Medardi similes quatuor hebdomadæ seqvuntur. Corporis Christi serenitas laudatur. Pluvia S. Joannis nuces perimit, & eam seqvuntur 40. dierum pluviæ. Si Procyonis occasus incidat in plenilunium Eclipticum omnes fruges & vites læduntur. Si in vitem florentem incidat pluvia, hoc anno sterilem, aliis minùs fæcundam faciet.

JULIUS.

Si 2. Julii pluerit seqventur dies 40. qualis dies S. Jacobi ante meridiem tale tempus ante Nativitatem: sed serenitas frigus, pluviæ calorem, inconstans tempestas optimam mediocritatem indicat. Canis stella in ortu turbida pestem minatur, clara salubritatem nunciat. Etesiæ tunc caniculam attemperant flando à septemtrione. Sunt qui lactucis & omnibus herbis censent aliquid inesse veneni cùm Sol est in Leone, eo tempore jubet Hippocr. siquidem calor stomachi est debilis abstinendum esse omnibus infrigidantibus & calefacientibus, quia ab utrisque licet modo diverso febris accenderetur, & somnum breviorem svadet.

AUGUSTUS.

Si tonuerit cum Luna est in Virgine pluviæ etiam ad dies 50. seqvuntur. Serenitas Augusti vino maximè conducit. Assumptio serena vinum fovet. S. Bartholomæi diem Autumnus imitatur.

SEPTEMBER.

Cùm in Autumno aves solitò pingviores hyems rigida sequitur. S. Ægidius serenus quatuor hebdomadas serenat. Autumnus serenus hyemem ventosam reddit. Si multi sunt fructus in quercu circa S. Michaëlem, multum erit nivis ante Nativitatem. Febres quæ incipiunt in Autumno sunt periculosæ, eas verò solet frigus inducere. Nullæ meliores & copiosiores prodeunt nuces quàm insitæ circa festum S. Lamberti, cùm Sol in Libram ingreditur fit tempestas. Cùm nives in montibus inveniuntur circa finem Augusti serenum & calidum Autumnum indicant.

OCTO-

OCTOBER.

Cùm folia seriùs dimittunt arbores, gravis instat hyems, folia dissipata sequentem annum notant, arbores pomiferæ plantantur cùm folia defluxerunt. Si pluviæ fuerint ante Plejadum occasum præcox futura sequetur æstas, si in ipso occasu pluit, mediocris: si post occasum, differtur æstas sed fit serena, occasus hic contingit paulò post Calend. Novemb.

NOVEMBER.

Primæ nives pluviosæ frugibus nocent, item si post pluviam congelet. Si tonet post ingressum Solis in Sagittarium abundantiam in montanis, penuriam in vallibus prænunciat. Si Abies circa 1. Nov. incisa siccior sit, hyemis calorem; si humidior, frigus notat. S. Martini pluviæ hyemem inconstantem, è contra serenitas indicat.

DECEMBER.

Tonitrua dum sol est in Capricorno & pluviam & ventos præsignant. Tonitrua Decembris, ventos: Viriditas Nativitatis nives Paschales, serenus vesper primus & ipsa dies Nativitatis, copiam frumenti, & piscium: ventosus & pluvius, pestem.

Aliae Observationes.

UNa pars anni solet alteri contraria evenire; ut si sit una clara, serena, sicca: sequens obscura, humida.

Primâ nocte Jan. si ventus flat ab oriente, pestis animalium timetur: si ab occidente aliquæ mortes notabiles: si à meridie, pestis: si à media nocte, magna sterilitas. Si nox clara absque vento abundantia speratur.

Si

Si pluit ante finem Octobris annus sequens præcox erit. Si circa finem Octobr. annus mediocris. Si ad init. Novembr. erit tardus & in tali plus seminandum quia temporis tractu multa grana corrumpuntur.

Fertilis anni indicia, si Autumnus pulcher & serenus: si ver mediocriter caleat: si tempore suo multæ nives decidunt: si arbores paucos fructus ferunt: si paucos pisces aquæ: si Genista paucos fecit flores: si juglandes plus habent florum quàm foliorum: si lentiscus profert fructus suos bonos, scilla multos flores.

Anni sterilis signa si in galla querna, non musca quæ ubertatis index est, sed aranea inveniatur. Si Cometa luxerit. Si ver & æstas nimis humidæ sint, si plurimi aranei, locustæ, & alii vermes compareant. Si juglandes plùs habent florum quàm foliorum: si non suo tempore ros & pruina decidat: si turmatim aviculæ è sylvis & insulis abeant in campos, civitates, villas. Si bubones non compareant in syluis in quibus videri solebant. Si magna sit copia fabarum, fructuum, piscium. Si Eclipsis grandis accidit solaris florente frumento tum enim perit granum. Si grana quæ sunt insita, fuerunt macra, levia, corrupta.

Anni signa insalubris si in æstate & vere decidant pluviarum guttæ sine vento cum magno calore, vel cum vento meridiano vel sine pluvia sic aër plenus nebularum. Si Eclipsis Solis, Cometa, compareat, ab ignibus aëreis exurantur arbores. Si Autumnus & hyems pruinis abundent, careant pluviis. Si panis expositus cælo non siccetur sed mucescat. Si canes aut lupi rabie corripiantur. Si aves deserant nidos, ova, pullos. Si oves invadat pestis. Si in paludibus, solitò plures ranæ compareant, si muri scateant araneis & aliis vermibus. Si talpæ terrâ egrediantur, serpentes hinc inde vagentur,

tur, aut alia insecta. Si aviculæ passim mortuæ reperiantur. Si intra gallam quernam compareat araneus. Si variolæ in adultis hominibus erumpant. Si fœminæ ante tempus pariant. Si æstate post pluviam ranæ nascantur cinerei coloris cum albis ventribus. Si Rosæ & violæ in Autumno flores proferant. Si sæpiùs imminere videatur pluvia neque pluat. Si postquam Sol diu perstitit serenus nubes superveniant absque pluvia. &c.

Apponimus hic & illam Italorum observationem circa revolutionem 28. Annorum, quorum singulos certis planetis attribuunt, cujus quidem rei nullam rationem deprehendere potuimus.

PERIODUS 28. ANNORUM.

1650	1678	Martialis sterilis.
1651	1679	Mercurialis mediocris.
1652	1680	Saturninus sterilis.
1653	1681	Jovialis fertilis.
1654	1682	Solaris fertilis.
1655	1683	Lunaris sterilis.
1656	1684	Martialis sterilis.
1657	1685	Jovialis fertilis.
1658	1686	Venereus fertilissimus.
1659	1687	Saturninus sterilis.
1660	1688	Solaris fertilis.
1661	1689	Martialis sterilis.
1662	1690	Mercurialis mediocris.
1663	1691	Jovialis fertilis.
1664	1692	Venereus fertilis.
1665	1693	Solaris fertilissimus.
1666	1694	Lunaris sterilis.
1667	1695	Martialis sterilis.
1668	1696	Mercurialis mediocris.
1669	1697	Venereus fertilis.
1670	1698	Saturninus sterilis.
1671		Solaris fertilis.
1672		Lunaris sterilis.
1673		Mercurialis mediocris.
1674		Jovialis fertilis.
1675		Venereus fertilissimus.
1676		Saturninus sterilis.
1677		Lunaris sterilis.

Postquam ventum est ad annum 1698. rursus ad initium est recurrendum ita ut in anno 1650. numeretur annus 1699. & sic deinceps.

Apponam hic aliam tabulam in libris Italicis frequentem, cujus etiam fundamentum ac certitudinem ignoro, conjiciunt illi ex die Lunæ quoto quis nascitur vitæ longitudinem, & ex eodem quoto quis incipit infirmari, morbi eventum, & venæ sectæ, quod per S. exprimimus. Ordo numerorum indicat dies Lunæ.

1. Natus brevis vitæ. Infirmus dubius die 14. 21. 28. postea sanatur. S. pallescit.

2. Natus longævus. Infirm. ad dies 14. dubius, postea sanatur. S. febrim dat.

3. Natus brevis vitæ. Infirm. valdè patitur sed sanatur. S. Incurvat.

4. Natus debilis. Infirm. per 21. dubius, postea sanatur. S. Indifferens.

5. Natus in juventute moritur. Infirm. diu trahet morbum, sed sanabitur. S. Pruriet.

6. Natus obnoxius morbis. Infirm. circa diem quintam mensis seq. sanabitur. S. Bene.

7. Natus longæ vitæ. Infirm. dubius. S. Stomachum offendit.

8. Natus in juventute moritur. Infirm. post 14. dies periclitabitur. S. Appetitum lædit.

9. Natus langvidus. Infirm. graviter patietur, sed sanabitur. S. Scabiem facit.

10. Natus longævus. Infirm. periculosus. S. Flavum hominem facit.

11. Natus periculosus. Infirm. intra triduum sanatur. S. Malè.

12. Na-

12. Natus mediocris vitæ. Infirm. post 15. dies periclitabitur. S. Optimè, vigorat.

13. Natus vivet. Infirm. transibit per periculum die 18. S. Non confortabit cibus.

14. Natus infirmus. Infirm. dies 15. periculosa, evadet. S. Morbum affert.

15. Natus longævus. Infirm. post 4. dies periclitabitur. S. Optimè.

16. Natus sanus. Infirm. post 28. dies sanabitur. S. Caveatur.

17. Natus sanus. Infirm. post 18. dies sanus. S. Malè.

18. Natus incertus. Infirm. post triduum sanus. S. Optimè.

19. Natus debilis. Infirm. post triduum sanus. S. morbum gravem inducit.

20. Natus robustus. Infirm. post septem dies periclitabitur. S. Malè.

21. Natus incertæ vitæ. Infirm. circa 10. seq. mensis sanabitur. S. Bene.

22. Natus mediocris. Infirm. alio mense sanabitur. S. Bene.

23. Natus infirmus. Infirm. post 22. dies periclitabitur. S. Bene.

24. Natus incertus. Infirm. sanabitur. S. Benè.

25. Natus langvidus. Infirm. post dies 8. alterius mensis sanabitur. S. Benè.

26. Natus periculosus. Infirm. periculosus. S. Benè.

27. Natus mediocris. Infirm. post 10. dies periclitabitur. S. Malè.

28. Natus mediocris. Infirm. alio mense sanabitur. S. Malè.

29. Natus infirmus. Infirm. periculosus. S. M. Verùm hæc incerta ac fabulosa: ponere tamen placuit cùm nihil prohibitum contineant.

ZOROASTER FUTURUM ANNI STATUM COLLIGEBAT EX JOVE, OBSERVANDO IN QUO ESSET SIGNO.

Nam si esset *in Ariete* dicebat annum totum Boreâ Euroque fore asperum, hyemem frigidam ac nivosam, imbres continuos vere, æstatem ordinatam ac salubrem, autumnum æstuosum, morbos maximè capitibus imminere, item tusses, distillationes. In campestribus majorem ubertatem quàm in montanis. Democr. addit, tali anno vinum fore bonum ac durabile, tempus idoneum ad vites plantandas, hortos fore bonos, sed aves paucas.

Juppiter in Tauro. Principium hyemis temperatum sed pluviosum, medium nivosum, finis gelidus: Ver temperatum & humidum usque ad Caniculæ ortum: æstas calida, Autumnus glacialis & insalubris maximè juvenibus quos lippitudine inficiet. Campi erunt fertiliores quàm montana, vinum modicum, sera vindemia, fructus arborum multi, aves paucæ, navigationes periculosæ. Democr. addit multam futuram grandinem ac nivem, terræ succussiones.

Juppiter in Geminis. Totus annus ventum Austrinum & Africum habebit. Hyemis initium ventosum, medium temperatum, finis glacialis & ventosus, ver temperatum tenues habens aquas & frumentum multum promittet, æstas temperata propter Etesias diuturniores, morbi in Autumno maximè noxii mulieribus, erunt & lippitudines, fructus arborum copiosi, in fontibus aqua deficit, anno sequenti fructuum defectus. Democr. addit grandinis ac pestis periculum.

Juppi-

Juppiter in Cancro. Hyems frigida & caliginosa, post æquinoctium vernum grandines multæ, montana magis fructificant. Salubris annus excepto Autumno. Democr. Pustulas fervidas in Autumno circa os erumpere maximè juvenibus, quocirca purgatione verna præveniendas.

Juppiter in Leone. Hyems initiò frigida, aquosa, ventosa ita ut arbores frangat: medio temperata: fine rigida. Ver pluviosum itemque æstas. Siccitas magna, penuria pabuli pro brutis æstate. Autumnus æstuosus & insalubris propter distillationes & tusses, frumentum mediocre, vitis & olea fertilis, inoculare bonum, magna animalia mansveta facilè pereunt, periculum terræ motûs.

Juppiter in Virgine. Hyems initio frigida, medio temperata, in fine frigida cum imbribus usque ad inundationem, ver pluviosum, arboribus noxium, in fine grandinat, æstas pluviosa, caliginosa, Autumnus ventosus & saluber, vitis fertilis & ejus plantatio succedit, frumentum facile corrumpitur & fructus, sed hominum sanitas firma est.

Juppiter in Libra. Hyemis initium aquosum, medium temperatum & ventosum, finis humidus & pruinosus, ver temperatum sed morbos affert capitis, simile æstatis initium. Prægnantibus annus periculosus. Democr. non metuendam grandinem, Autumnum aquosum.

Juppiter in Scorpio. Hyems initio frigida cum grandine, medio calida, in fine lenis, ver hyemale, ad solstitium æstivum imbres & tonitrua, aquæ fontium deficiunt, frumentum moderatum, vitis & olea fæcunda. Boves patiuntur. Democr. inundationem, morbos, imò pestem circa Autumnum metuit.

Juppiter in Sagittario: Hyems temperata sed aquosa, finem habet frigidum & ventosum, ver austrinum & pluviosum, æstas temperata, Autumnus ob etesias bonus, fructus tam præ-

coces quàm serotini boni, medii vitiosi, quod seriùs vindemiatur vinum hoc melius, arbores fertiles, annus plantationi idoneus, canes patiuntur, magna animalia multiplicantur, mare procellosum.

Juppiter in Capricorno. Hyems initiò temperata, medio humida, fine ventosa, aquæ sensim crescunt & cum iis frigora ac nives. Æstas ad caniculæ exortum mediocris, postea insalubris ac æstuosa, parvis animalibus faventior annus quàm majoribus, ac præcipuè bobus. Spirant etesiæ, timetur terræ motus, campestria fructuosiora montanis. Vinum pruina enecat. Autumnus capitibus inimicus, lippitudines inducit, ac pruritum, periculum ne fructus glacie ac ventis lædantur.

Juppiter in Aquario. Hyems initiò frigida, in fine ventosa, ver aquosum, hybernum, pruinosum, æstate pluviæ multæ, in Autumno venti humidi fructibus noxii, affectiones acutæ ex humidis causis, præcipuè juventutem & mediam ætatem invadunt, naufragiorum ac fulminum periculum.

Juppiter in Piscibus. Hyems initiò pluviosa, in medio ventosa, in fine plena nivium, ver favoniis gaudet, æstas calet, & magis autumnus, venti noxii fructibus arborum, sata bona, prægnantes periclitantur. Democr. vitem & oleam fertiles.

PERICULA VITAE IN HANC TABELLAM REDEGIT F. DOMINICUS AUDA ORD. S. FRANCISCI REFORMATUS, CUM FACULTATE ROMAE ANNO 1652. IMPRESSA, HIC AIT NATA.

Sub Ariete ♈ periclitari anno vitæ			22	30	75	
Tauro ♉	12	22	33	40	74	
Geminis ♊	9	10	15	25	33	42
Cancro ♋	24	32	72			
Leone ♌	12	22	30	40	58	75
Virgine ♍	16	28	42	85		

Libra

Libra ♎	15	28	42	85	
Scorpio ♏	14	28	48	61	80
Sagitt. ♐	1	7	19	28	85
Capric. ♑	8	18	33	77	
Aquar. ♒	33	42	58	75	80
Piscibus ♓	15	30	78		

CAPUT XVI.

De plantandi ac seminandi tempore.

QUamvis de hac materia ex Professo in nostra Oeconomia agimus tamen hic etiam ut materiæ præsenti satisfiat aliqua adnotabimus. Lunam veteres Agriculturæ scriptores non ita pro tempore ad seminandum & plantandum idoneo obsèrvârunt, ut non simul terræ colendæ, seminumq́ue, ac surculorum inserendorum ac universalium temporum naturæ & qualitatum, habuerint rationem. Nam si in terram humidam aut semen humidum seminare aut plantare volueris, id teste Plinio sub interlunio decrescente Lunâ commodiùs facies: si verò in terram arentem aut semen aridum serere volueris, luna crescens, & plenilunio propior, observabitur. Præter hæc autem omnia, frigida Saturni quo sese stella receptet, diligenter perspiciendum est; ipsa enim naturalem super agriculturam dominatum usurpat, ob eamq́ue rem in bona cœli faustâq́ue configuratione ad Lunam & beneficas, stella illa saturni aptanda est. Præ cæteris autem Luna ipsa consideretur ut sit in signis idoneis ad hoc negotium, qualia sunt ad plantandum Taur. & Aquar. ad seminandum verò Taur. Canc. Virg. Libr. & Capr. Res tamen tota feliciùs perficietur si aliquod ex præfatis signis ascenderit, & Mars nullo prorsus aspectu ingrediatur vel Lunam irradiet, & in debili figuræ lo-

co

co debilem situm obtineat. Quo autem mense anni quælibet res plantari aut seminari debeat, id regulâ generali doceri non potest, eò quòd diversitas terræ, sitûs, elevationis poli, ventorum, pluviarum, & irrigationis, & similes aliæ circumstantiæ, diversitatem temporis ac mensium requirant. Nam v. g. ubi elevatio poli notabiliter minor est, atque adeò brevior hyems, & minus frigus, citiùs seminandum aut plantandum est, quàm ubi elevatio poli major, atque adeò hyems longa, & frigus magnum. Ut citiùs in Sicilia ubi elevatio 32. plùs minùs graduum quàm in Polonia ubi 52. aut in Moscovia ubi 62. ipsum ergo tempus seminandi & plantandi cuilibet loco & rei accommodatum ab ipsismet agricolis experientiâ edoctis, discendum est, qualitas autem sola temporis ex Astrologia.

Electio temporis idonei ad plantandum, seminandum, & ad vineas & feraces arbores, & hortos serendos, colendosq́.

TEmpus sationi instituendæ accommodatum, etsi imprimis inquirendum est à peritis agricolis, & hortulanis: tamen & Astrologi præcepta nonnulla tradunt, juxta quæ satio instituenda venit.

Ac Lunam quidem scriptores tam Agriculturæ, quám Astrologicarum observationum, pro tempore ad sationem, & plantationem idoneo observandam esse tradiderunt: quandoquidem Luna maximè corporibus iis, quæ vegetabilia dicuntur, ut sunt plantæ, & res ex terra nascentes, dominatur: ut si in terram humidam, aut semen humidum plantare quis voluerit, faciat id commodissimè, monente Schon. can.9.part.3. Isag. sub interlunio decrescente Luna. Si verò in terram aridam,

dam, aut semen aridum serere animus sit, faciat id Luna crescente prope plenilunium.

Imprimis autem prospiciendum est, quò sese frigida Saturni stella receptet, docente Virg. libr. 1. Georg. & Plin. cap. 25. libr. 18. Nam Saturnus dominatur terræ, & sationi, ac seminibus præest, ut notat Pont. in Com. super 10. sent. cent. Ptol. Hinc ille feliciter configuratus Lunæ, aspirante simul Jove, & Venere adjuvat culturam terræ; impediunt verò eandem aspectus Martis ad Lunam. Seminatio quoque fieri solet die ante, vel post novam Lunam præsertim si Luna motu velox in signis mobilibus sit; signa namque ad seminandum sunt mobilia, Aries, Cancer, Libra, & Capricornus, quibus rectè junguntur Virgo, & Pisces.

Ad plantandum verò fixa signa conducunt, imprimis Taurus, & Aquarius; Quod ipsum, & Pittatus docet in doctrina elect. in princ. suarum ephem. Plantatio, inquit, arborum, vinearum, vel similium eo tempore instituenda est quo ascendunt signa fixa; imprimis si Luna Taurum cum Venere decurrat, vel ab eadem aspectu afficiatur. Quod si Lunam in Tauro habere non potes statue in Aquario, tandem in Leone, ità tamen, ut ex signo aquatico à Saturno, Jove, vel Venere aspiciatur. Docet etiam Card. libr. 2. Aph. 162. Lunam in signis terreis Tauro, Virgine, vel Capricorno, utili convenire sationi, plantationi, suffossioni vinearum; sic in Cancro frugum omne genus terræ mandari, & in Libra, ac Aquario horti coli possunt. Acria verò, nec seras, nec colligas, nec reponas, nisi Lunâ infra terram existente, Card. 2. Aph. 154. In genere quoque melior est satio, & plantatio, quando mox subsecuta est pluvia; vites si putaveris Lunâ plenâ lucente in Tauro, Leone, Scorpione, vel Sagittario, nec sorices, nec volucres uvas infestabunt, Card. d. loco Aph. 155.

Luna in Ariete, bonum ſeminare, plantare, ſimiliter ſi ſit in Tauro, Cancro, Leone. Sed ſi in Virgine, ſterileſcunt arbores. Benè ſuccedit in Libra & Scorpio & Capric. ſed in Sagittario damnatur.

Luna trigona cum Saturno aptiſſima ſeminationi, dum ſit Luna in Cancro vel Libra vel Virg. vel Capric. Item ſi Luna ſit Sext. in Tauro, item ſi ſit conjuncta Jovi aut Ven .omnia quæ poſt plenilunium plantantur minus habent incrementum quàm quæ poſt Novil. Abulenſis in cap. 12. Exodi. Ad ſerendum hordeum jubet ut Sol ſit in Libra, vel initio Scorpii. Ad ſerendum triticum ſit in Scorpio vel initio Sagitt. &c. & addit. Si autem hæc non inſpiciantur, indifferentes ſeminabimus aut plantabimus arbores Sole exiſtente in Cancro aut in Leone, & tunc per ſe notum eſt quòd nihil naſceretur. Sed & Boët. 1. de Conſol. Metro 6.

Cùm Phœbi radiis grave
Cancri ſydus inæſtuat,
Tum qui larga negantibus
Sulcis ſemina credidit
Eluſus Cereris fidem
Quernas pergat ad arbores.
Nunquam purpureum nemus
Lecturus violas petas,
Cùm ſævis Aquilonibus
Stridens campus inhorruit.
Nec quæras avidâ manu
Vernos ſtringere palmites &c.

CAPUT XVII.

De arborum pro ædificiis cædendorum tempore.

A Luna 15. usque ad 22. arbores illæ cædendæ ſunt, ex quibus ædificia aut aliæ res durabiles debent conſtitui. His enim tantùm octo diebus cæſa materies à carie immunis erit: reliquis autem diebus præciſa, internâ vermium quaſi ſcabie exeſa, in pulverem vertitur. Hoc præterea obſervandum ut poſt ſolſtitium æſtivum usque ad calendas Jan. arbores cædantur,

his namque mensibus arescente humore ficciora, & ideo robustiora solidioraque ligna sunt. Vitruvius lib. 2. archit. cap. 9. vult arbores cædi in Autumno, quando flant venti occidentales, & neque tum quidem primâ vice omnino abscindendas, sed solùm usque ad medullam seu medietatem, & sic relinquendas quàm diu humor egreditur per illam scissuram, cùm autem desierit fluere, tum omninò resecandas, & sic fore perfectissimas & admodum durabiles; quandoquidem per illam primam scissuram tanquam per aliquod cauterium humor qui putredinem generat, egreditur. Atque simili etiam remedio constat plurimas arbores conservari & à sterilitate liberari, cùm videlicet juxta radicem terebro perforantur, ut per medullam earum vitiosus & superfluus humor egrediatur. Primo autem vere nullo modo sunt arbores exscindendæ pro ædificiis, quia tunc plurimo turgent humore, & sunt in motu diffundentes se in folia ac frondes, & ideò debiles ac corruptioni obnoxiæ. Laudantur autem præ cæteris arbores illæ quæ in montibus septemtrionem respicientibus crescunt. Illæ enim à ventis Borealibus frigidis ac siccis valdè constringuntur & exsiccantur, atque adeò duræ, solidæ, minusque corruptioni obnoxiæ redduntur. Interest etiam plurimùm scire quam mundi plagam partes arboris in sylva respexerint, præsertim cùm illæ arbores in 4. partes sunt findendæ: illa enim pars quæ septemtrionem respexit, cæteris solidior & fortior est, & minùs inflectitur eò quòd sit ficcior ac cæteris constrictior. Huic proxima est orientalis pars, quam sequitur occidentalis, meridionalis autem omnium pessima, eò quòd propter humorem copiosiorem cæteris faciliùs incurvatur, scinditur, ac corrumpitur. Optima ligna censentur, neque unquam putrescere aut verminare, quæ cæduntur à 30. Dec. ad 1. Januar.

CAPUT XIIX.

De tempore putandis vitibus & reliquis arboribus idoneo.

QUos ramos vitis, vel arborum velles nunquam amplius crescere, eos decrescente lunâ amputabis circa finem tertij quadrantis. Sin autem desideres ut denuò crescant & multùm se dilatent, crescente luna putabis in secunda quadra hoc est ante plenilunium, tunc enim multum succi habent & citò propagant. Si cupis succum ex vite, vel arbore quapiam habere, eam similiter crescente ac ferè plena lunâ incides, nam tunc in maxima copia lacrymas profundet. Atque hæc omnia facies eo mense, quo, in loco tuæ habitationis, vites, & arbores florere & folia ac frondes producere incipiunt, quoque communiter ab aliis agricolis putari solent.

CAPUT XIX.

De tempore capiendis Cancris commodo.

CAncri hyemali tempore boni non sunt, atque adeò neque capi neque comedi solent; æstate autem præsertim quatuor mensibus, scilicet Majo, Junio, Julio & Augusto sunt boni, reliquis autem mensibus in quibus R. invenitur prohibentur.

Mensibus in quibus R. maneat vetitus tibi Cancer.

Vel. *Mensibus erratis nunquam Cancros comedatis.*

Illis igitur mensibus quibus sunt comestibiles capiendi sunt crescente Lunâ ac ferè plenâ, nam cum ipso augmento Lunæ augetur caro illorum, atque in plenilunio pleni sunt, post plenilunium autem unà cum Lunâ decrescunt, ita ut novilunio maximè sint macri & exsucci. Atque hoc quod de cancris diximus, de omnibus insectis intelligi debet, omnia enim cum augmento Lunæ augescunt, & cum decremento deficiunt.

Hoc

Hoc idem intelligendum de medulla, cerebro, ſangvine ac quibuscunque demum humoribus animalium.

CAPUT XX.

Quid quolibet menſe anni faciendum aut omittendum ſit causâ valetudinis juxta quosdam.

JANUARIUS.

In Jano claris calidisq́ cibis potiaris,
Atq́ decens potus poſt fercula ſit tibi notus.
Lædit enim Medo potus tunc, ut bene credo,
Tunc venam incides, ſecurus balnea viſes.

Hoc menſe jubent Medici calidis uti cibis & aromatibus. Sangvinem non eſſe minuendum ſine gravi cauſa, balneis uti convenire. Modicis tamen cibis veſcendum ob periculum febrium frigidarum, & poſt cibum in calore manendum. Unde verſus.

Conveniunt epulæ, pocula ab olla focus. Ludi.
Vena tibi nullos exſudet ſecta cruores
Sed calidâ fas eſt mergere corpus aquâ.

FEBRUARIUS.

Fit febris occulta Februarî tempore multa
Potibus & eſcis, ſi cautè vivere neſcis:
Tunc cave rigorem de pollice funde cruorem
Pectus ut hîc cures mellis favum bene ſuges.
Frigore, piſce, ferinâq́ abſtine, aromata, vina
Elige dehinc ſangvis ſvavior ut ſit age.
Pharmaca, clyſteres, thermas amplectere, venam
Ne tuſſi aut ſiti corripiare ſeca

Pharmaca tunc hauri tunc tundo in pollice venam
Et calido multùm flumine membra fove.

MARTIUS.

Martius humores gignit variosa dolores,
Sume cibum purè, cocturas si placet ure,
Balnea sunt sana, sed crede superflua vana,
Vena nec abdenda, nec potio sit tribuenda.

Hic mensis ob mutationem aëris continuam censetur esse insaluber & ut Hippocr. lib. 3. Aph. 1. ait. Primo vere pituita est plurima in corporibus, & tùnc vena non est secanda, sed purgationibus mediocriter utendum. Sed vere medio & ultimo venam secare convenit. Aquæ hoc mense ut plurimùm malæ. Versus vulgares.

Balnea nunc jungas, ventosæ, pharmaca, sudor
Humores purgent sit vitulina cibus,
Aërem ama tepidum, vino abstine, corpus
Non vitio exhauri nam facit esse senem.

APRILIS.

Hic probat in vere vires Aprilis habere.
Cuncta renascuntur, pori tunc aperiuntur.
In quo scalpescit corpus, sangvis quoq; crescit,
Venter solvatur, multusq; cruor minuatur.

MAJUS.

Majo securè laxare sit tibi curæ,
Scindatur vena, sed balnea dentur amæna.
Cum calidis rebus sint fercula seu speciebus
Potibus adstricta sit salvia cum benedicta.

JUNIUS.

In Junio Gentes perturbat modo bibentes
Atq; novellarum fuge potus cervisiarum
Ne noceat cholera, valet hæc refectio vera
Lactucæ frondes ede, jejunus bibe fontes.

Utile est sangvinem minuere cùm rosa floret. A rebus calidis, motu vehemente, lavacris abstinendum, frigidis vescendum.

Dilue vinum, horam somno impertire diurno
Hinc tibi perpetuo membra vigore valent.

JULIUS.

Qui vult solamen, Julio probet hoc medicamen,
Venam non scindat, nec ventrem potio turbet.
Somnum compescat, & balnea cuncta pavescat
Sitq; recens unda, sint salvia & allia munda.

Hoc mense cavendi pisces ex stagnis, cibus cum aromate, somnus meridianus, longa itinera, phlebotomia, balnea. Hippocrates dixit. Ante Canem & post canem & sub cane molestæ sunt purgationes.

Pharmaca, secturam venæ, merum, aromata, thermas,
Abdica, zythum mite vetusq; bibe,
Sint cibus asparagi, lactucæ, cardana, acetum
Mixtum oleis, ova, & viscera farta suum.

AUGUSTUS.

Quisq; sub Augusto vivet medicamine justo,
Rarò dormitet, æstum, sordes quoq; vitet,
Balnea non curet, modicumq; comestio duret
Non hic laxari debet vel phlebotomari.

Corpo-

Corporis ægroti summè ni postulet usus
Sangvine nec venas evacuâsse velis.
Abstine aromatibus, thermis, somnoq; diurno
Pharmaca non curet, laceret neq; corpora ferro
Nec gelidas intra delicietur aquas.

SEPTEMBER.

Fructus maturi Septembri sunt valituri
Et pira cum vino, panis cum lacte caprino,
Tunc aqua de urtica tibi potio fertur amica
Et venam pandas, species cum semine mandas.
Indulge genio, medicamina sume, cruorem
Venis mitte, cutem scarrificato, lava.
Poma, ferina, & aper prosunt, sic vina, voluptas.

OCTOBER.

October præbet vina cum carne ferina
Nec non aucina, caro valet & volucrina
Quamvis sint sana, tamen est repletio vana
Quantum vis comede, sed non præcordia læde,
Venam aperi, thermas adhibe, præterq; columbas
Gallinâ & pomis vescere, musta fuge.

NOVEMBER.

Hoc tibi scire datur, quod rheuma Novembre fugatur
Si modò te cures, & justo tempore dures.
Balnea cum scelere tunc nullus debet habere
Potio sit sana non est incisio vana.
His mulsumq; & mella ferunt conferre diebus
At tu sume piper vinaq; pura bibe.

Hinc scelus, algores, thermæ, secturaq; venæ
Vitentur, firmet membra calore labor.

DECEMBER.

Sanæ sunt membris calidæ res mense Decembris,
Frigus vitetur, capitalis vena secetur.
Lotio sit rara, sed vasis potio cara
Sit tepidus potus, sic sanus permane totus.
Utere aromatibus, victu calido & vitulinâ
Pingve, merumq; recens fac moderatus ames.
Aëre age in tepido, capiti quid sangvinis aufert
Tunc jaceant mensis gramina nulla tuis.

DE MINUTIONE SANGVINIS ALIA PRÆCEPTA.

Martini, Blasi, Philippi, Bartholomæi,
His festis minuas ut longo tempore vivas.
Luna vetus veteres, juvenes nova Luna requirit
Sed decrescente minuas Juvenis macilente.
Ver æstas dextram, Autumnus hyemsq; sinistram
Percutiunt venas, tollunt de corpore pœnas.
Postq; diem quintum, post vicesimum quoq; quintum
Venæ parcatur, quia corpus debilitatur.
Marcelli Papæ, Sylvestri, vincula Petri
Venam qui pandit non multo tempore scandit.
Post venam scissam duc vitam paulò remissam,
Prima dies venæ tibi sit moderatio cœnæ.
Altera læta dies tertia tota quies.
Ipse dies quartus omnes fragiles facit artus
Inde dies quintus, virtutes colligit intus.
Balnea sexta petit, sed septima vult spatiari
Hebdomadâ plenâ requiescit sic tibi vena.

Si fluxum pateris, si non caveas morieris,
Concubitum, potum nimium, cum frigore, metue.

CAPUT XXI.

De Numero & qualitate ventorum.

POnuntur etiam venti in prognosticis, non solùm ut præsciamus quinam ex ipsis & quonam tempore sint spiraturi, id quod ex supradictis colligi debet, sed etiam ut ex flatu eorum de certo rerum proventu & eventu, aut statu anni & conditione judicare ac prædicere aliquid possimus. Nam cùm quis novit naturam alicujus venti, & advertit ventum illum flare, colligit ex flatu ejus id eventurum quòd natura talis venti requirit, ut ex sequentibus patebit. Fuit autem primus observator ventorum ut refert Strabo, Plinius, Virg. Polydorus, Aeolus Rex Siciliæ, qui quatuor Cardinales ventos observavit. Deinde Andronicus Cyrestes teste Vitruvio & Polidoro quatuor alios Athenis in quadam turri observatos reliquit. His Philosophi & antiqui nautæ quatuor alios addiderunt, & in universum 12. constituerunt juxta 12. Sphæræ circulorum sectiones. Novi nautæ 32. ventos notatos habent in pyxid sua nautica, in qualibet quadra circuli octo. Sed nobis solùm 12. ad rem nostram facient. Sunt igitur ex 12. ventis 4 præcipui qui Cardinales dicuntur, quòd à quatuor mundi plagis seu cardinibus prodeant, reliqui octo sunt collaterales, quorum duo cuilibet Cardinali attribuuntur, unus ab una parte, & alter ab altera.

Primus ventus Cardinalis dicitur *Apeliotes* & Subsolanus, Italis Levante, hic ventus oritur in Oriente sub æquinoctiali plaga, est calidus & siccus, sanus præsertim manè, temperatus, facit nebulam sine aqua.

Pri-

Primus ejus collateralis versus septemtrionem appellatur Cæcias & Vulturnus & Hellespontinus, Italis Græco levante, est calidus & siccus, desiccat, serenat, conglaciat per accidens, facit grandinem & nebulam. Alter collateralis versus Austrum, *Eurus*, Italis, Syrocco Levante. Est calidus & siccus, largè flat, efficit pluvias & nebulam in Oriente, de his tribus ventis est sequens versus.

Sunt Subsolanus, Vulturnus, & Eurus, Eoi.

Hos ventos Orientales Sol movere dicitur, & triplicitas ignea videlicet, Aries, Leo & Mars.

Secundus ventus Cardinalis dicitur *Zephyrus* & Favonius. Italis Ponente, oritur in occidente sub parallello æquinoctii. Est frigidus & humidus, vitalis, producit flores & fructus per auroram. Ejus primus collateralis versus septemtrionem appellatur *Japix* Agrestes, Corus, Italis, Ponente maestro, est frigidus & humidus, in aurora est fortis, facit nebulas in oriente, serenat in Austro, eradicat plantas & arbores, perniciosus est. Alter collateralis versus Austrum dicitur Africus, Lybs, Italis, Ponente Garbino, est calidus & humidus, nubes, pluvias, tonitrua, fulguraque gignit, relaxat frigora & flores producit, hos ventos occidentales dicitur movere Luna, & triplicitas aërea Gem. Libr. Aquar. de iis versus.

Occidui Zephyrus, Lybs, & violentus Japix.

Tertius ventus Cardinalis dicitur Auster, Notus, & Italis Sirocco est calidus & humidus, largas nubes & plurimas pluvias generat. Collateralis ejus ad Orientem est Euronotus, qui & Euro auster & Phænicies dicitur, & Italis Ostro Sirocco, est calidus & temperatè humidus, est insalubris, facit nebulas & pluvias, & tempestates in mari. Collateralis ad occasum dicitur Lybonotus & Austro affricus. Ostro Lubeccio Garbino, calidus & insalubris, facit grandinem & pluvias, hos

tres ventos meridionales dicitur movere Mars, & triplicitas terrea, scilicet Taur. Virg. & Capric. de his.

Austrini Notus, Euro notusq; Austro africusq;.

Quartus ventus Cardinalis dicitur Apartias, & septemtrio. Italis vero Tramontana, est frigidus & siccus, estque bonus, temperatus, indurat, & constipat, purificat corpus humanum, & nubes siccas excitat, aërem purgat. Collateralis ejus ad occasum dicitur Thracias & Circius, Italis Tramonta maestro, est frigidus & siccus, est fulminosus & tonitruosus, gelidus & siccus, absque pluvia, constipat nebulas, impedit pluviam, est sanus.

Hos ventos septemtrionales dicitur movere Juppiter, & triplicitas aquea, videlicet Canc. Scorp. & Pisc. de his versus.

Arctoi septemtrio, Circius, & Boreas sunt.

His 12. Neoterici quatuor alios addiderunt qui medii sunt per æqui distantiam inter quatuor prædictos Cardinales. Sed de his plura agemus in Cosmographia.

ALIA DE VENTIS DOCUMENTA.

Venti Orientales sunt sani omnes calidi & sicci. Veniunt in postremo noctis & principio diei, ab aëre qui jam temperatus est propter Solem, at in noctis principio & fine diei erunt humidiores & crassiores, durant diutiùs quàm occidentales, eò quòd habeant plus materiæ, nam exhalationes quæ propter frigus noctis sunt congregatæ, à radiis solis rarefiunt, elevantur, & in ventos formantur. De qua formatione vide mea Meteora.

Venti occidentales sunt frigidi & humidi, & omnes saniores dum Sol occidit, à cujus radiis tunc purgati sunt. In fine noctis & principio diei sunt crassiores: quia veniunt ab aëre nondum per solem calefacto: at in fine diei & principio noctis

noctis minùs sunt spissi & crassi, eò quòd jam aër Sole attenuatus. Solent potissimùm spirare in primo vere, & tunc etiam impediunt odoratum canum ut parum valeant in ferarum indagatione.

Venti Meridionales sunt omnes calidi & humidi, afferunt plerumque pluvias & tempestates: oriente & occidente sole sunt robustiores, meridie quietiores, saltem in æstate. Debilitant corpora, opplent cerebrum, visum obtenebrant, movent longiori tractu humores, catharros promovent: humores agitant & ad exteriora propellunt, subducunt alvum, vel molliunt, dejiciunt appetitum dum poros cutis aperiunt, & naturalem calorem difflant, febres putridas generant. Communiter omnes venti meridionales sunt insalubres quia generant putredinem, & corrumpunt aërem, atque ipsis flantibus non debent aperiri fenestræ granariorum, cellariorum, &c.

Venti septemtrionales sunt frigidi & sicci, & plerumque pro ratione temporis prænuncii nivium, grandinis, atque gelu. Contrahendo corpus retinent calorem naturalem in animalibus augentque, superfluorum consumptionem Boreas noctu ortus non durat ultra tertium diem, noctu debilior, interdiu fortior, si sequitur meridionalem ventum præparat tempestates. Si diutiùs sævierit, gignit tusses, disurias, tremores, dolores laterum & pectoris, urinam provocat, corroborat, indurat, poros claudit, concoctionem juvat, ventrem stringit, aërem pestilentem sanat. Sed præterea, sæpe causat nervorum dolores, horripilationes, tusses, costarum ægritudines, plevritim, peripnevmoniam. Quodsi præcesserit Auster, fiunt sanguinis profluvia, pectoris ægritudines, tusses, plevritis, ac peripnevmonia.

Notandum præterea de ventis eos generari præcipuè Vere ac in Autumno, quia illa sunt tempora temperata quibus exhalationes moventur nec tamen resolvuntur, in hyeme autem

propter nimium frigus paucæ moventur, in æstate verò propter nimium calorem resolvuntur.

Nota 2. Communiter generari ventos mane & vespere propter easdem causas dictas: noctu autem frigore exhalatio adstringitur, in meridie calore consumitur.

3. Diutiùs durare ventos Orientatales quàm occidentales fortassis eà de ca sa quòd Sol magis eos adjuvet in oriente, quàm Luna in occidente.

4. Ventos qui noctu oriuntur diutiùs durare quàm qui de die, eò quod interdiu solum ex ea materia generantur quam Sol resolvere non poterat, noctu autem plùs sit materiæ, imò licet minùs, sufficit tamen, quia non est quod eam resolvat: imò illa quæ de die rarefacto calore sursum ascenderat, noctu addensata descendit.

5. Boream semper die impari terminari ut tertio, quinto, septimo &c.

6. Cùm duo venti sibi obviam veniunt,& neuter alteri cedit, tum gyrum faciunt, ac sursum elevantur, atque adeò turbinem faciunt.

7. Quando spirant Orientales vel septemtrionales aperiendas esse fenestras versùs eas plagas constitutas, eorum scilicet locorum in quibus granum, poma, vinum &c. servantur & claudendæ quando spirant occidentales & Australes.

8. Civitatem & domos versus Orientem & septemtrionem sitas solere esse liberas ab infectione aëris & contagio, quod præcipuè in calidis regionibus evenit.

9. Orientales & occidentales ventos non esse tam frequentes atque sunt Meridiani & septemtrionales, eò quòd sol priores plagas quotidie transiens materiam ventorum consumat. In septemtrionem verò impellit rarefaciendo, inde ventus oritur, & dum nimis in septemtrione densantur in Australem

lem plagam redeunt, & sic alium ventum excitant. Sed de his & horum similibus plura in mea Meteorologia curiosa.

10. Australes venti majores in mari excitant tempestates, quàm reliqui, eò quòd attenuando aquam maris altiùs illam jactant, imò etiam magis obliquè perstringunt.

11. Itidem venti variè varios locos afficiunt, quia & ipsi alterantur, dum valles aut montes transeunt, imò sæpe repercussi veniunt, & sic alii quàm sint, putantur esse. Hinc refert Aristoteles Aquilonem apud Corynthios tortuosè flare propter reverberationem montium.

LUNAE RESPECTUS OMNES IUXTA P. KIRCHER IN HANC TABULAM COLLIGUNTUR.

Signa	Aries	Taur.	Gem.	Canc.	Leo	Virg.	Libr.	Scorp.	Sagitt.	Capr.	Aquar.	Pisc.
Phlebot.	B	M	M	B	I	M	B	B	B	M	B	I
Medicina	B	M	B	B	M	B	B	B	M	I	B	B
Balnea	I	I	M	B	B	M	M	B	M	M	M	B
Ædificatio	I	B	I	M	I	M	B	M	I	I	M	B
Piscatio	M	M	I	I	I	M	M	B	I	I	M	B
Casur. lign.	B	I	I	B	M	B	B	I	M	B	M	M
Planta, sem.	I	B	B	M	B	B	M	M	M	B	I	M

CAPUT XXII.

Reliqua in ordine ad Medicinam & Agriculturam.

Phlebotomia has habet leges. 1. In necessitate nec dies, nec hora spectanda. 2. Extra hanc eligendum tempus vernum vel autumnale. 3. Dies clarus & serenus. 4. Horâ matutinâ digestione peractâ.

Purgatio. Contrarius Planeta quærendus humori qui evacuatur. Saturnus fovet Melancholiam. Juppiter, Sol, Ve-

nus,

nus, ſanguinem, Luna phlegma. Mars choleram. Item Virgo & Capricornus Melancholiam, choleram Aries & Sagittarius. Phlegma Cancer, Piſces, Sanguinem Libra, Aquarius.

Balnea causâ munditiei cùm Luna eſt in Libra & Piſcibus, & reſpicit Ven. ſanitatis causâ ſi quis eget exſiccationē Luna ſit in ſignis igneis cum aſpectu Martis vel Solis. Si eget humectatione ſit Luna in ſignis aqueis cum aſpectu Jovis, aut Ven. Luna in ſignis terreis cum aſpectu Saturni, vel Martis contraria eſt balneis.

Tonſura. Ut citò creſcant capilli, tondendi dum Luna in Tauro, vel Virgine, aut Libra, creſcens, cum aſpectu trino vel ſextili ad Jovem vel Ven. ut tardè creſcant, ſit Luna decreſcens in Cancro vel Scorpio, cum aſpectu ad Mercurium, vel Solem. Si decreſcente Lunâ fiat frequenter tonſura, calvitiem inducit, maximè in Ariete cum aſpectu malo Planetarum.

Oves tondendæ creſcente Lunâ. Animalia excindenda decreſcente.

Sale condienda animalia ne putreſcant, mactanda Lunâ decreſcente.

Ungves reſecandi cùm Luna in Geminis vel Piſcibus.

Tempeſtates anni. Conjunctio Jov. & Ven. ſemper afferunt magnam ſerenitatem. 2. Planetæ mutantes ſigna mutant auram. 3. Planetæ non mutantur à ſtellis fixis ſed roborantur, Sole & Lunâ exceptis. 4. Planetæ calidi & humidi cum Stellis calidis & humidis vel ſignis faciunt turbulentum æſtuoſum & inſalubrem aërem. 5. Serenitas à tribus ſuperioribus planetis id eſt, Saturno, Jove, Marte: imbres ab inferioribus oriuntur. 6. Ex ſuperioribus nullus præter Martem pluvias, ex inferioribus nullus præter Mercurium efficere ſiccitatem poteſt. 7. Apertiones fiunt portarum, hoc eſt, ſpecialis mutatio ad ven-

tos,

tos, & pluviam, quando planetæ domos oppositas habentes opponuntur sibi directè vel ex quadro, aut etiam conjunguntur, vel quando transit ab uno illorum, vel ab unius aspectu transit ad alium. Primus gradus harum apertionum est Saturni oppositio cum Luna aut Sole, ejus domus est Aquarius opposita domui Solis leoni. Secundus gradus Juppiter in piscibus, & Mercurius in Virg. Tertius, Mars in Scorpio cum Ven. in Taur. 8. Omnis aspectus Saturni cum Sole & Luna producit gelu, grandines, nives. Aspectus Jovis cum Mercurio ventos. Aspectus Martis cum Ven. fulgura, imbres, nubes. 9. Mutationes magnæ non fiunt aëris nisi unus ex superioribus planetis adsit cum oppositione, vel aspectu. Inferiores nisi juventur à fixis magnis non magnam mutationem afferunt, nisi in conjunctione cum Sole & Luna. 10. Magnæ constitutiones hyeme inclinant ad nives, in vere ad ventos, in æstate ad grandines. 11. Planetæ directi seu veloces, siccitates inducunt, stationarii ventos, retrogradi pluvias, nives, grandines, nix quia fit ab humido subtili ideo à calidis planetis & signis multiplicatur. 12. Planetæ in Apogæo minùs calefaciunt, in perigæo magis. 13. Debilis planeta producit pluvias, robustus siccitatem. Debilis verò est Occidentalis, retrogradus, tardus, combustus, præter Martem.

Saturnus aërem infrigidat maximè in Tauro. Virg. Capric. Dum transit è signo in signum, per plures dies impressiones facit in cælo ignitas. Si sit cum Marte in Apogæo in Cancro vel Scorpio pluit graviter. Si sit in Ariete, Leone, Sagittario sterilitatem inducit, si quadratus in Libra, Aquario, luem, si in Tauro, Virgine, Capro terræ motum in locis qui sunt illi obnoxii. Semper verò ob tarditatem motûs diuturnas in aëre facit mutationes.

Juppiter quia est calidus & siccus inducit serenitatem & ventos aquilonares qui sunt causa illius. Trigonus cum Saturno plerumque siccitatem & calorem excitat. Conjunctus cum Marte, imò in quovis aspectu alio, calefacit, si Juppiter & Mars apud stellas tempestuosas collocentur, scilicet. Arcturum, Aquilam, caudam Delphini, Lucidam Coronæ, inducunt ventos, grandines, tonitrua; hyeme verò ad teporem & ventos disponunt, maximè Jove stationario. Juppiter cum Sole, hyeme remissionem frigoris, æstate calorem, interdum fulmina, & tonitrua movet. Iter Jovis à Sole ad Martem ventos magnos causat, sed si accesserit aspectus Ven. fient pluviæ. Juppiter à Ven. ad Martem digressus, pluvias æstate, hyeme nives facit. Juppiter cum Ven. serenitatem affert, in æstate etiam tonitrua, maximè si stellæ Martiales accesserint. Juppiter cum Mercurio ventos suscitat, maximè circa plenil. & novil. Juppiter transiens per cor Leonis circa Autumnum, ventum subsolanum, & de nocte frigidam auram affert, circa meridiem verò aërem gratum, & lucidum cælum. Iter Jovis ad Saturnum & è contrà, pluvias aut nives largas facit. Jupp. & Mars in sext. Solis & Ven. pluvias adducit.

Mars in Cancro, Scorpio, Piscibus & stellis pluviosis tempestates cum tonitru, grandine, coruscatione, movet. Mars transiens Plejades aliquot dierum pluviam affert, si Marti se junxerit Saturn. & Jup. solent ventos, pluvias, gelu, producere. Sat. à radiis Solis ad radios Martis procedens facit portarum apertionem magnam ad ventos, pluvias, nives. Mars Soli conjunctus calorem æstate auget, hyeme frigus remittit, nisi aspectus Saturni impediat, qui ad frigus inclinare poterit. Aspectus Mart. & Ven. facit apertionem portarum ad pluvias, coruscationes, fortes ventos, nives, idque per aliquot dies. Mars cum Merc. facit ventos magnos, in Vere & Autumno gran-

grandines, hyeme nives. Mars dum novum signum ingreditur mutat aërem, si transeat per plejades diebus aliquot pluit.

Sol in Piscibus occidentales ventos movet, in Ariet. septemtrion. in Tauro orientales, in Geminis meridionales plerumque. Sol accedens æstate ad Jovem vel Martem calorem auget, fulminaque & tonitrua excitat. Itus Solis ad Jovem vel Martem è contrà ventos excitat. Si Sol ad frigidum planetam radios deflexerit v. g. ad Sat. frigidam pluviam, grandines, tonitrua, nebulas, inducit. Sol cum Mercurio conjunctus, ventos, pluvias, nives, chasmata, parelios, paraselinas, irides, halones producit, idem facit ex parte defluxus Mercurii ab uno planeta ad alium. Sol cum Ven. humidum aërem, pluvias, imbres, tonitrua efficit. Sol aspiciens Saturnum pluvias frigidas Vere & Autumno facit. Cum Sole ortum Baltheum Orionis ventos movet. Trigona Solis & Saturni, pluviam frigidam. Trigona Saturni & Mercurii aperit portas ad ventos & humiditatem.

Venus in Cancro, Scorpio, Piscibus est mater pluviarum. Conjunct. cum Luna pluit, conjuncta cum Sat. pluvias frigidas & nives. Aspiciens Mercur. per aliquot dies humida, aut nivosa. Ven. in prima decade Cancri, pluvia, item si transeat per hyadas, plejadas, asellos. Ven. conjuncta Lunæ plenæ pluit per medium diem. Ven. conjuncta Merc. in Tauro nubilosum & frigidum tempus. Sext. Jov. & Ven. pluit. Ven. opp. Sat. pluviam frigidam, existens in Sagitt. & Virg. quadratè Saturn. cum Marte pluvia frigida. Quadr. Mart. Ven. pluit. Sext. Ven. Mèrc. turbidus aër.

Mercurius sub solis radiis latens repentinas pluvias cum magnis flatibus facit si sit in signis aqueis: Si in aëreis tonitrua & fulgura. Cum Sat. æstate aërem frigidum & turbulentum reddit, hyeme nivosum. Conj. Sol. Sat. Merc. inordi-

natum & diuturnum frigus. Si Mercur. ſit cum Marte & Jove cum magnis flatibus pluvias ſubitaneas efficit, hyeme autem nives, quoties Merc. directus aut retrogradus mutat aërem Sed motus Mercurii cùm nondum ſatis ſint obſervati conjunctio ejus & aſpectus ut ponuntur, ſæpè fallunt.

Lunæ primus quadrans magis exſiccat, ultimus humectat, effectus etiam variat vel ratione aſpectuum ad alios planetas, vel ratione ſigni, vel ratione fixarum, vel ratione latitudinis, vel domûs. In æſtate eſt frigidior, hyeme temperata, & cùm motum habeat velocem parùm facit in mutatione aëris; ſi verò ad aliorum aſpectus planetarum ſe applicuerit, auget illorum efficaciam.

Univerſim planetarum congreſſus & irradiationes in Ecliptica ſunt efficaciores ad mutandum aërem. 2. Iidem planetarum ſitus in diverſis locis diverſos effectus faciunt, quia agentis actio facit juxta naturam ſubjecti. 3. Hyeme plerumque frigus intenditur quando nulli ſunt aſpectus. 4. Validæ conſtitutiones contrariorum planetarum ſæpè ſe impediunt, hinc trigona Sat. & Jovis calidum facit aërem. 5. Magnæ conjunctiones ſuperiorum Planetarum ſterilitatem inducunt.

Observationes factae Vilnae in Litvania.

Mars in plenil. Taurum ingreſſus fecit nives per triduum. Sol conj. Merc. fecit ventum gravem orientalem per triduum. Ven. ingreſſa in Taur. per ſeptimanam fecit ſerenitatem. Opp. Ven. & Sat. cauſavit nubiloſum. Plenil. oriente ariſtâ adduxit procellas & grandines per quinque dies. Conj. Mars Ven. parvum frigus fecit poſt pluviam. Conjunctus Sol Jovi ventum vehementem. Oriens ariſta magnum frigus effecit, acceſſit Sext. Martis & Merc. Boreas flabat. Merc. retrog.

 per

per duos dies nubilum & frigidum fecit cælum. Quadr. Jov. Mart. turbidum cælum cum ventis frigidis. Quadr. Jovis & Ven. venti frig. Conj. Solis & Merc. frigidus Subsol. Conj. Mart. Ven. nives vel pluviæ. Ven. in lat. sept. Mercur. retrog. in Sext. Mars & Ven. aperiunt portas ad nives vel pluvias. Opposſ. Jov. & Merc. frigus, paulò post Favonium tempestuosum. Quadr. Sat. Mart. Libanotus vehemens postero die pluvia. Conj. Mart. cum Lucido pede occasus Jovis cum Procyone frigus. Merc. Station. in Sext. Sat. pluviæ subitaneæ, grandines, venti, frigus. Quadr. Sat. Ven. in Sag. Virg. toto die pluit. Sext. Merc. Ven. pluviæ & magni venti aliquot dierum. Trig. Jovis & Solis, serenitas, tranquillitas. Conj. Jovis cum stella nebulosa Cancri, pluvia. Ven. ingressa Libram in quadr. Jovis, Ven. Sext. Martis, Merc. & trig. Jovis Merc. cælum caliginosum. Sext. Jov. Mart. initio sign. Cancri & Virg. item Jupp. Resp. in 1. gr. Cancri, Africus flavit validè aliquot diebus. Post opp. Jovis & Ven. inquieta fuit aura frigida cum pluvia & nive, perflabat Subsolanus vehemens. Conj. Sat. cum capite Ophiuchi aër crassus & nubilus. Quadr. Mart. Ven. crassæ pluviæ diebus aliquot. Trig. Solis & Martis nix vel pluvia, conj. Solis & Merc. frigus. Merc. dir. Mars retrog. item Sext. Saturn. cum Ven. nix cum Favonio. Conjunctio Ven. Merc. in Capric. nives lenes in pluvias resolutæ per tres dies. Sext. Sol. Sat. Opp. Sat. & Lunæ Conj. Jovis & Lunæ nives in aquam abierunt. Trig. Mart. & Ven. in Virg. & Capr. nix, pluvia. Trig. Sol. & Jov. humida & lenis aura. Sat. maximè septemt. in Sagitt. Aqu. Leo. Scorp. item Jupp. in Canc. Virg. Capr. Aqu. Pisc. Septemt, & in Tauro merid. item Mars in Taur. & Gem. item Luna in Canc. impedita, faciunt aërem humidum. At verò Sat. in Gem. Septemt. & occid. Mars in Leone, Luna in Leone, siccant.

Tabella aspectuum Lunæ cum planetis ac etiam planetarum inter se pro mutationibus aeris indicandis, ingredimur hanc tabellam cum Conj. Opp. & Quadr. Planetarum.

	Luna.	Mercurius.	Venus.	Sol.	Mars	Juppiter.
Saturnus.	Turb. humid. Humid. calid. Nebul. pruin. Nubila nivosa.	Venti pluvia. Venti imbres. Venti nubila. Venti nives.	Pluv. frig. Pluv. subit. Pluv. frigid. Pluv. vel nix	Pluv. frig. Grand. tonit. Pluv. frig. Nix vel neb.	Pluv. vel tonit. Tonat. Grand Pluv. turb. Remiss. frig.	Turb. vel hum. Grand. tonitr. Venti pluvia Turbida.
Juppiter.	Aeris temperiem.	Ventos magnos.	Temperiem aeris.	Ventos Tonit. temp. Turb. Vent. Remiss. frig.	Turb. Venti. Tonit. temper. Turbid. Vent. Remiss. frig.	
Mars.	Minuit frigus & aquam in signis calidis. Ton. fulm. in æstate.	Venti nubilosi aliquantùm. In æst. tonitr.	Pluviam Imbrem Pluviam Remitt. frig.	Venti sicci Tonitr. fulm. Venti sicci Remiss. frigor.		
Sol.	Alterat aerem pro natura temporis.	Venti aliquando cum hum. præsertim in ventosis signis In Aqu. pluit.	Pluviam Tonit. Imb. Pluviam Humiditatē.			
Venus.	Humid. nubil. Remiss. calor. Nebul. turbid. Turb. vel neb.	Ventos humidos vel saltem nubes.				
Mercurius.	Aliquando ventos nubiferos.					

Prior ubique versiculus est pro Vere. Secundus, pro Æstate. Tertius, pro Autumno. Quartus, pro Hyeme.

Hanc tabulam ingredere pro diurnis mutationibus indicandis, cum planetarum aspectibus, & in angulo communi invenies aëris mutationem. Poteris autem planetam accipere sivie suprà, sive à latere, & si angulos communes non inveneris, muta terminos & invenies & si in angulo communi unam tantùm mutationem inveneris, ea toti anno serviet. Quæ omnia S. Ecclesiæ subjecta sunto plenissimè. Sit pro complemento

CALEN-

CALENDARIUM OECONOMICUM.

OBſervabimus hîc pluvias nives &c. ex variis ſignis quæ ſunt præ oculis, ſed in eodem horizonte expectanda eſt pluvia in quo ſignum comparet, horizon ſe extendit eòusq; quò pertingit viſus hominis in aperto campo conſiſtentis: hoc eſt circiter ad milliaria germanica quatuor. Signa etiam certiùs indicant ſi ſint de eo quod parti anni congruit. Nam ver initio magis humidum in fine magis calidum, unde ſigna quæ notant pluviam magis initio veris indicnnt. Aeſtas initio calidior in medio temperata, in fine ſiccior. Autumnus initio ſic cior, in fine frigidior, in medio utrumque. Hyems initio frigidior, in fine ſiccior, in medio utrumque. Præterea veriora ſunt ſigna quæ comparent in regione quæ poteſt illorum effectus juvare: ita in loco aquoſa ſigna pluviæ ſunt certiora, in montanis, nivium ac fulminum, quò etiam plura ſunt eò ſis certior de effectu. Denique aër immutat id quod ſignificatur, nam dum ſignificatur pluvia, ſi ſit calor temperatus, pluet: ſi ſit frigus, ninget, aut grandinabit: ſi calor debilis, ros decidet aut nebula conſurget.

PLUVIÆ SIGNA.

Ex Sole.

Ex Sole oriente ſumuntur ſigna pro diurna pluvia, ex occidente pro nocturna.

1. Si nubes fuerit in oriente vel occidente æruginoſa, vel cærulea, vel rufa vel obſcura pluet.

2. Si ſol exoritur in nube ferruginea, & ejus radii alii in Auſtrum, alii in Aquilonem ſparguntur, ventos & pluvias notat.

3. Si Sol in ortu vel occasu apparet lucidus pluet.

4. Si in ortu vel occasu radii solis à nubibus teguntur, pluet aliquot diebus.

5. Si Sol de die per nubes compareat veluti globus ignitus, pluet.

6. Si Sol appareat cæruleus, pluet: si igneus, imbrem adducet: si maculas ostendat, pluviam cum vento tempestuoso.

7. Si Sol exoriens radios veluti per fenestras spargit, pluet.

8. Si Sol in occasu vel ortu solitò calidior.

9. Si Sol exoriens in circum rubescat cum livore aliquo, pluet.

10. Si Sol occidens nubes secum trahat, pluet: vel si dum oritur non spargat radios, nisi cùm jam est exortus, pluet.

Ex Luna et Stellis.

1. Si Luna, post Novilunium, vel Plenilunium, vel Quadras, tertiâ vel quarta die appareat pallida, vel cærulea, pluet.

2. Si Luna nondum plena in cornibus maculas habeat, pluet: si plena in medio sit maculata, serenat.

3. Si dum Luna nova comparet cornu superius habeat obscurum, pluet in sui decremento, sed si cornu inferius obscurum, pluet ante plenilunium. Si in medio obscuretur, pluet circa plenilunium.

4. Si Luna quarto die post Novilunium non compareat, & perflet ventus meridianus, toto mense tempus erit hyemale.

5. Si Luna nova cùm primò comparet, ex omni parte nigricet, tempestatem notat horridam & imbres.

6. Si post Novilunium, Plenilunium, Quadras die tertiâ vel quarta cornua habuerit obtusa, pluet.

7. Si

7. Si tertiâ die poſt Novilun, cornu ſuperius inſtar plumbi liveſcens habuerit, ſaltem unâ hebdomada, ſi non toto menſe pluit.

8. Si ſtellæ non clarè luceant, pluet.

9. Stellarum Vergiliarum nubilus occaſus pluvioſam hyemem, ſerenus ſerenam ſed aſperam notat.

10. Stellæ dictæ Aſelli ſunt circa Cancrum, ſi nube inficiuntur, hyemalem tempeſtatem adducunt: ſi ex illis Auſtrinus latuerit, pluviam cum vento meridiano indicat: ſi Borealis, ventum ſeptemtrionalem: ſi uterque turbatum variè aërem.

EX NUBIBUS, VENTIS, TONITRUIS, IRIDE, CORUSCATIONE.

1. Nubes inſtar velleris per particulas ab Oriente diſcurrentes intra triduum adducunt pluviam.

2. Nubes ſi à meridie versùs ſeptemtrionem procedant, pluet.

3. Nebula ſi aſcendit, pluet: ſi diſſipatur, aut cadit, ſerenabit.

4. Si ventus à meridie jam aſſurgat, jam ceſſet, pluet.

5. Si Hyeme tonat, aut manè in æſtate, aut etiam veſpere, pluet.

6. Si Autumno fiant multæ coruſcationes ad Boream, pluet.

7. In Vere, Autumno, Aeſtatis initio, ſi plus tonat quàm fulgurat, fit aër hybernus.

8. Si in Auſtro ſereno multùm fulgurat, poſtridie pluet.

9. Si cælo impuro coruſcat absque tonitru, pluet.

10. Si Iris procedit in meridiem pluet: item ſi occidente Sole comparet in ortu.

EX AQUIS, RORE, NIVE, VITRO, PLUVIA, &c.

1. Si ros ſuo tempore deſit, maximè circa plenil. pluviam aut ventos notat.

2. Si guttæ pluviales ſint magnæ, vel albeſcant, diuturnam notant pluviam.

3. Cùm pluvia initio debilis, poſtea major, ſolet eſſe diuturna.

4. Si pluvia nimis citò areſcat, nimbus ſequitur.

5. Si aquæ ſtagnantes incaleſcant absque Sole, pluet multùm etſi non ſtatim.

6. Si nix, grando, hyeme liqueſcant absque Sole, pluet.

7. Si è vitro, aut marmore prodit ſudor, citò pluet.

8. Si mare absque vento murmuret, ventos aut pluvias notat.

9. Si in ripis compareant oblongi aranearum cumuli, pluet.

10. Si ranæ immodicè coaxent absque coitu, pluet.

11. Si Cancri lapillos arripiant, pluvioſa tempeſtas.

12. Si piſces ſuper aquas ſerenas ſaltent, pluet.

Ex Terra, Igne, Avibus, Animalibus.

1. Si montium vertices nube involvantur, pluet.

2. Si turrium ſylvarumque color manè pallidus appareat, aut veſpere: pluet.

3. Si ſal liqueſcit, aut vaſa in quibus ſunt carnes ſalſæ ſudent, pluet.

4. Si paleæ & folia ſicca volitent per aëerem, pluet.

5. Si Erinaceus ſe claudit, pluet.

6. Si candela nimis ſtrideat vel ſcintillet; hyemalem, pluvium, aërem notat.

7. Si ignis bene coopertus cineribus, ſcintillas aut favillas emittat, pluet.

8. Si lumen candelæ langueat, & flamma non moveatur, pluet.

9. Si fumus per caminum non liberè evolet, pluet.

10. Si carbones valde ſcintillent, pluet.

11. Si æſtus præter ſolitum æſtate, vere, aut in autumno ſentiatur, pluet.

12. Si campanæ vento non flante ex loco remotiore quàm ſolent audiantur, pluet.

13. Si fuligo decidat, hyemales pluvias.

14. Si araneæ de parietibus cadant, pluet.

15. Si portæ cum difficultate claudantur, chordæ in lyra reſiliant, pluet.

16. Si pelliceum, corrigiæ langueant, abbrevientur: ſi pixidum lignearum opercula ſtrictiora ſolitò appareant: ſi in manibus cutis videatur ſicca & lubrica, pluet.

17. Si cœlo ſereno præter ſolitum flores oleant, pluet.

18. Si veteres cicatrices vulnerum ſine cauſa doleant, pluet.

19. Si Aves nidos ante tempus petant, pluet.

20. Si aves non aquaticæ in ripis pennas purgent, vellicent, pluet.

21. Si gallus poſt occaſum Solis canat, pluet.

22. Si gallinæ & aliæ aves nimiùm ſuas plumas pectant, & humi ſe jactent, pluet.

23. Si gallinæ manè tardè prodeant, pluet.

24. Si pavones noctu clament, pluet.

25. Si Anates concertent ſecum, pluet cum tempeſtate.

26. Si Anates ſe aquis merſitent, & perſtrepant, quamvis antea non caruerint aquâ, pluet.

27. Si grues in eundem locum revolitent, pluet.

28. Si hirundo volitando ſuper aquas quaſi illas radat, vel nimis prope terram aut parietes volitet, pluet.

29. Si corvi, aut graculi turmatim clament, aut veluti ſuſpendant ſe ab arboribus, pluet.

30. Si Cornix prope aquas crebrò cornicetur, pluet.

31. Si Acredula nimis manè canat, pluet.

32. Si paſſeres nimis manè pippiant, pluet.

33. Si noctua ſolitò citiùs veſpere prodeat, pluet.

34. Si ardea evolans ex palude in campis conſiſtat, pluet.

35. Si columbæ veſpere citiùs ad columbaria redeant, vel gallinæ, aut ſe abſcondant, pluet.

36. Si muſcæ, pulices ſolitò ſint mordaciores, pluet.

37. Veſpæ ante Vergiliarum exortum intrantes terram, ſimiliter muſcæ ſe abſcondentes, pluvioſam & frigidam hyemem notant.

38. Apes ſi non recedant ab alvearibus, pluet.

39. Capræ ſi nimis avidè fruticeta vorent, item ſi domum redeundo carpant avidè herbas, pluet.

40. Animalia ſi nimis pede vel roſtro fodiant terram, notant hyemem pluvioſam.

41. Arietes, oves, ſolitò magis ſecum certantes, humidam tempeſtatem.

42. Felis utroque pede ſe diutiùs lavans, aut uno ultra aures, pluet.

43. Si canes foſſas faciant, Aſini, muli aures agitent, pluet.

44. Si boves capite ſublato auram olfaciant, pluet.

45. Si boves cum mugitu ad ſtabulum redeant, poſt aliquot dies pluet.

46. Si boves contra pilum ſe lingant: vel omnes in ſtabulo dextro lateri incubent, pluet.

 47. Si

47. Si manipulos fœni curſitando ſues diſpergant, pluet

48. Si lupi ſolitariè ululent propiùs pagos accedendo, pluet.

49. Mures præter ſolitum ſibilantes ſi è cavernis prodeant, pluet.

50. Si talpæ majores ſolitò cumulos terræ effodiant, pluet.

51. Si lumbrici, aut bufones prodeant è terra, pluet.

OBSERVATIONES CIRCA PLUVIAM

1. Si pluviæ non fuerint hyeme arbores ſterileſcunt, ſed campi fiunt fœcundi.

2. Si pluit in ſolſtitiis vinum patitur.

3. Si die Dominico circa nonam ante meridiem pluit, ſolet majori parte hebdomadæ pluere: Si incipiat ſabbato pluere etiam feriâ ſecundâ pluit. Rariſſimè ita ſabbato pluit quin Sol compareat. Si Luna feriâ tertiâ ob Novil, inſtans diſparere incipit, tota erit pluvioſa.

4. Cùm nimis dominantur pluviæ, ſolent febres longæ ſequi, alvi profluvia, morbi putridi, comitiales, apoplexiæ, anginæ, catharri &c.

SERENITATIS SIGNA
EX COELO.

1. Si Sol purus abſque nubibus occidat, ſerenat.

2. Si in occaſu poſt ſolem nubes maneant rubicundæ, ſerenat.

3. Si nubes oriente ſole diſſipantur paulatim, ſerenat.

4. Si Sol in oriente ſit, & iris in occaſu, valde modicè, & raró pluit.

5. Si Sol versùs eam partem procedit unde venti ſpirant, ſerenat.

6. Si Luna die teritia & quarta poſt Novil, ſit pura, toto menſe ſerenat.

7. Si Lunæ cornua pura, acuta, ſerenat.

8. Si ſtellæ lucent clarè, etſi interdum nubes tranſvolent, ſerenat.

9. Si Lacteus circulus apparet nitidus, ſerenat.

10. Poſt Cometam ſolent eſſe ſiccitates.

Ex Aere.

1. Coruſcationes veſpertinæ absque tonitru & nubibus, notant ſerenitatem.

2. Si nubes veluti vellus candidæ appareant, ſerenat.

3. Si nubes ab ortu in occaſum pelluntur, ſerenat.

4. Si nebula circa aquas & prata apparens non aſcendat manè, ſerenat.

5. Si ros copioſus manè aut veſpere deciderit, ſerenat.

6. Si aurora æſtate ſolitò frigidior, ſerenat.

7. Si Boreas ſpiret etſi nubes colligat, ſerenum.

Ex Terra, Avibus.

1. Si montes puros absque nube vertices habeant, ſerenat.

2. Si noctua poſt ſolis occaſum frequenter volitet, ſerenat.

3. Si Cornix in occaſu ſolis variè crocitet, ſerenat.

4. Si Grues taciti volent, ſerenat.

5. Si Muſcæ parvæ in globos ſe occidente ſole colligant, ſerenat.

Observatio Circa Serenitatem.

1. Si Autumnus eſt ſerenus, hyems ſequitur ventoſa & pluvioſa.

RORIS, NIVIS, GRANDINIS, PRUINAE, NEBULAE SIGNA.

1. Signa pluviæ ſi ſint pauca & debilia, ſequitur caligo: ſi ſint cum frigore ſequitur nix & grando.

OBSERVATIONES.

1. Ros in montibus non invenitur, in agris autem demeſſas ſegetes putrefacit. Sic cum gramine à beſtiis comedatur, diſſenteriam & alios morbos adducit.

2. Nix in montibus frequentior, eſt plantis utiliſſima.

3. Grando ſæpiùs de die cadit quàm noctu. Sed ſi arbores teneras concutiat facit ſteriles per annos aliquot.

GELU ET FRIGORIS SIGNA.

1. Si Sol cum pluvia oritur ſolet ſequi frigus.

2. Si Sol hyeme ſolitò lucidior, gelu ſequitur.

3. Si tertia & quarta die Luna fuſca & obſcura, friget.

4. Vergiliæ ſi nubilo cælo occidunt pluvioſam hyemem notant: ſi ſereno, frigus aſperum.

5. Stellæ ſupra ſolitum hyeme micantes, gelu.

6. Si quando incepit gelu grando parva & rotunda decidit, fit majus gelu: ſi decidit magna & anguloſa, frangitur gelu.

7. Si potenter Aquilo perflet fit gelu majus.

8. Si nix cadat minutiſſima, fit diuturnum & grave gelu: è contrà, ſi magna decidat.

9. Si patiantur dolorem qui frigidis morbis aut oſſium fracturis laborant, ſequitur frigus.

10. Si quercus multùm fructificet diuturna hyems ſequitur.

11. Si

11. Si Aves minores prope domos quærant pabulum, grave inſtat gelu.

12. Ignis ſolitò clarior & calidior præcedit gelu.

13. Aves ſylveſtres ſolitò pingviores duram hyemem notant.

Observatio.

Qualis ſolſtitii brumalis & ante illud dies duo vel tres dies, ſimiliterque poſt, talis tota ſolet eſſe hyems, idem eſt de ſolſtitio æſtivo reſpectu æſtatis.

VENTORUM SIGNA, e Coelo.

1. Si oriente Sole nubes à meridie rubent inde ventus orietur: ſimiliter ſi rubeant ab Aquilone.

2. Si poſt occaſum Solis compareat nubes in occidente veluti carbonibus conſperſa, & Sol cum rubore occidit, inſtant venti.

3. Si Luna rubet, venti. Item die tertiâ vel quartâ, & in quadris, Novil. Plenil ſi rubea & tremula apparet, versùs quam partem declinat inde venti conſurgunt.

4. Si Luna partem ſuam non illuſtratam, ſolitò clariorem ac rubentem exhibeat, venti.

5. Si Luna umbram confuſam faciat ventos & pluvias notat.

6. Si Lunæ cornu Auſtrale ſit acutum, Auſtrum: Si Boreale, Boream notat, ſi utrumque tectum, ventoſam noctem.

7. In quam partem ſtellæ noctu cadunt, inde venti conſurgunt.

8. Si ſtellæ nimiùm ſcintillent, excitantùr venti.

9.Stel-

9. Stellæ ſolitò majores, notant ventum.

10. Cometæ ex ea parte ventos commovent, in quam projiciunt caudam.

Ex Aere.

1. In fine pluviæ vehementis ſolet eſſe ventus.

2. Si in Novilunio ventus accidat, & duret in tertiam diem durabit etiam totâ quadrâ, imò ad plenil.

3. Si nebula cœlo ſereno in exortu ſolis appareat, ſolet eſſe ventus.

4. Si poſt occaſum ſolis in aquilone nubes purpureæ ſe in longum extendant, intra triduum conſurget ventus.

5. Tonitrua matutina ventos denuntiant.

6. Si tonitrua fiant quando Sol eſt ingreſſus in ſigna hyemalia, ventoſus annus.

7. Si æſtate frequentiùs tonat quàm coruſcat, à qua parte id fit, inde venti.

Ex Aqua.

Mare plùs ſolitò cæruleum Auſtros, nigrum Aquilones, derepente tranquillum, adducit ventorum mutationes.

Ex Terra et Animalibus.

1. Si terra ſit nigrior ſolitò Boream, ſi albior Auſtrum evocat.

2. Si anates frequentiùs in aqua ſe mergant, oritur tempeſtas.

3. Formicæ ſi non laborent aut latitent, ventum ac tempeſtatem præſagiunt.

4. Terreſtres aves ſi circa aquam volitent, venti.

5. Si Anſeres in ſeptemtrionem volitent Auſter flabit, ſi in Auſtrum Boreas.

6. Erinaceus ſi cavernam ſuam occludat ad Auſtrum flabit inde ventus.

Observationes.

1. Venti Orientales ſolent eſſe potentiores occidentalibus.

2. Orientales ſolent eſſe ſalubres, cellaria, bibliothecas conſervant.

3. Venti directè oppoſiti nunquam flant quia unus ab alio vincitur

4. Auſtri ſi diu ſpirant, ait Hippocrates, auditum hebetant, caput gravant; vertiginem, pigritiam concitant; iis flantibus minùs animalia eſuriunt, quæ Auſtrum ſpectant arbores florem citiùs amittunt.

5. Septemtrionales venti ſaluberrimi conſervant cellaria: iis flantibus ceſſat peſtis, ſed teneris floribus & gemmantibus arboribus nocent, fumant iis flantibus putei. Aquilones tamen diuturni, ait Hippocr. adducunt tuſſes, ſtranguriаs, lippitudines, febres, flavæ bilis concitationem; ſed humidis corporibus, proſunt, ut Auſter è contrà nocet. Si poſt Aquilonem diuturnum perflet Auſter arborum fæcunditas oritur, ſed ſub Auſtro nec ſerendum nec arandum.

6. Venti ſunt diuturniores qui interdiu, quàm qui noctu exoriuntur.

7. Ceſſant venti pluviâ incipiente.

8. Venti flant in orbem, & uno cadente incipit alter procedendo versùs ſiniſtram. Inde autem venti oriuntur unde ſe nubes aperiunt.

TONITRUORUM, FULGURUM, FULMINUM SIGNA.

1. Si Sol manè aut veſpere compareat in nube cum æſtu ingenti, idque in Vere, Autumno, aut Æſtatis initio.

2. Cùm ventus paleas & arenas permiſcet.

3. Cùm præter ſolitum calet Vere, Autumno, Æſtate.

Observationes.

1. Nubes nigra magis tonat, ſed adhuc magis quæ ex nigro rubeſcit, peſſima autem omnium quæ rubeſcit cum virore, quia continet aquam, fulmina, grandinem, Albicans minimè periculoſa.

2. Ante magna tonitrua ſolent magni exoriri venti.

3. Crebra nimis tonitrua ſequitur hominum animaliumque peſtis. Tonitrua vehementia ſaporem vini pervertunt cùm non mixta eſt aqua: remedio eſt lauri lamina ſi ſuperponatur orificio vaſis, aut lauri ramus.

4. Tonitru ſequitur pluvia.

Tempestatum Signa.

Tempeſtas eſt cùm venti, pluviæ, nives, grandines miſcentur, hujus ſigna. *Ex cælo.*

1. Cùm Sol conſpicitur veluti nube diſſectus.

2. Si Orientem aut occidentem ſolem nubes obſident vireſcentes.

3. Si Luna exoriens cornua craſſo candido-rubra oſtendat.

Ex Terra.

1. Si montium & ſilvarum absque cauſa fragor auditur.

2. Si ignis in candelis palleat, crepet, fungos in ellychnio crebros faciat.

3. Si Apes lapillos pedibus apprehendant, & cum iis volitent.

Sterilitatis Et Faecunditatis Signa.

1. Cometas diuturnos ſterilitas ſequitur.

2. Ver & æſtas nimium madida: vel ſi pruina cum Auſtris decidat quando florent ſegetes, ſterilitatem inducit.

3. Grandinum & nivium copia ſi ſuo ſit tempore, fœcundat.

4. Cùm Nuces copiosè proveniunt fœcundus eſt annus.

5. Nebulæ in Aprili & Majo, Autumnus ſiccus & ſerenus fertilitatis index.

6. Sterilitatis nota eſt, ſi aves è ſylvis in urbes ſe transferant.

7. Sterilitatis item nota ſi verni fructus valde ſint copioſi.

8. Item ſi hyems pluvioſa, ſed Martius ſiccus & Aprilis humidus fœcundi ſunt, item ſperatur ſi tempore ſeminationis Autumnalis ſerenum fuerit.

9. Si à 17. Cal. Maij ad 4. Cal. ejusdem plenilunium inciderit ſerenum ſine ventis omnia læduntur in campis nimio rore.

10. Si à 29. Apr. ad quatriduum ſimile plenil. contigerit, vites ac oleæ periclitantur.

11. Si Kal. Jan. cœlum rubeat prænotat tempeſtates.

12. Dies S. Vincentii clara prædicit bona vina.

13. In Bacchanalibus ſi Sol lucet per dies 40. ſequentes lucet.

14. Quot

14. Quot ſunt nebulæ in Martio tot in æſtate pluviæ: quot ſunt rores tot poſt Paſcha pruinæ. Aprilis pluvius bonus eſt, ſed ſi dies Palmarum turbidus ſolent pati campi.

15. Dies S. Urbani in Majo ſerenus bona vina, pluvioſus mala adducit.

16. Die Viſitationis B.V. in Julio ſi pluit per dies 40. pluit. Si triduum ante S. Jacobum fuerit ſerenum, frumenta non læduntur. Ejusdem Sancti dies ante meridiem notat ſtatum hyemis usque ad Nativitatem Chriſti: tempus pomeridianum notat reliqvum hyemis.

17. Dies Aſſumptionis B. V. bonam vindemiam, Dies S. Bartholomæi ſerena Autumnum ſerenum.

18. In Sept. dies S. Ægidii ſerena dies 40. ſerenos adducit. Circa feſtum S. Michaëlis glandem quernam aperi, ſi in ea inveneris araneum ſterilis annus ſequetur, ſi vermem, annus inſaluber, ſi muſcam fertilitatem expecta. Idem colligi poteſt ex querna galla in Martio aperta in arbore inventa. Si dies S. Michaëlis frigeat, & Majus frigebit. Quot pruinæ ſunt intra tres hebdomadas ante S. Philippum totidem erunt poſt. Primum Novilun. Septembris ſerenam vindemiam promittit.

19. In Octob. ſi folia non decidunt, magnum frigus citò imminet. Si Autumnus ventoſus & ſerena hyems fæcunditas expectanda.

20. Si dies Nativitatis Chriſti ſit Lunâ creſcente bonum expectant annum: ſi decreſcente, ſterilem. Nox S. Sylveſtri ventoſa, & mane ſerenum, fruges non bonas.

21. Venti ſunt impetuoſiſſimi & nati procellas excitare Aquilo & Auſter idque in fine Autumni & initiò veris. Sed Aquilo qui noctu oritur non diu durat, unde qui vult illo in navigatione uti, non fidat priusquam per triduum conſtantiam probaverit. Auſter eſt conſtantior præſertim nebuloſus.

Nix copiosior hyberna agris non mediocrem solet conferre utilitatem, præcipuè si gelu moderato incumbat; neque enim solùm calidam terræ respirationem repercussam intus comprimit, & cohibitum calorem retroagit in vires frugum atque radices, verùm etiam teste Plinio l. 17. c. 2. liquorem sensim præbet puriorem ac levissimum, & quasi spumam: sicque terra fermentescit, & lactescentibus satis non effœta, uberiorem parit fructuum copiam. Quod ipsum etiam Theophrastus l. 2. de causis plant. testatur, dum ita scribit: *Multitudo nivis magnopere prodest, ut paulatim colliquescens subeat solum, nec universus humor influxu unico ruens dilabatur: ita enim & terra fermentari optimè potest, calore circum obcluso atq; coercito quod seminibus vehementer conducit: fibris enim subnixa firmataq; compressu frigoris, simul ac mitescere tempus inceperit, celeriter atq; universa erumpunt.* Idem quoque edisserit Albert. Magn. lib. 2. tract. 1. c. 16. Fruges etiam æstivæ sementi aptæ sunt, quando ver non est humidum excessivè. Humiditas veris fructus arboreos putrefacit si sit nimia. Porro ad annonæ proventus fœcundiores non aëris duntaxat congrua temperies, verùm etiam Patrum-familias singularis industria & diligentia est necessaria: quibus sæpenumero ex cœli inclementia proveniens defectus abundè compensatur. Sic scribit Samuel Hartlieb in Oeconomia Anglica, frumentum quod per hyemem mansit in agro, si in vere seminetur, duplicatam ad minimum proferre messem, maximo cum sementis compendio. Sed imprimis humilis & assidua ad DEUM Patrem cælestem pro pane quotidiano necessaria est supplicatio; ac deinde justitiæ & misericordiæ cultus: rectè enim cecinit Propheta coronatus Ps. 36. *Junior fui etenim senui: & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

Hip-

Hippocrates Archiater experientiſſimus *Aphor. lib. 3. Aphor. 1. ait: Mutationes temporum potiſſimùm pariunt morbos; & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione, eodem modo.* Quibus ille verbis indicare vult, quodſi quatuor anni tempora, Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems, conſvetum ſuum temperamentum non ſervent, ita ut Ver non ſit humidum & calidum, Æſtas calida & ſicca, Autumnus humidus & frigidus, Hyems frigida & ſicca: (ſingulis enim hiſce anni temporibus ſingulorum elementorum binæ qualitates competunt) ſed ut plurimùm immutentur, & à ſolito temperamento notabiliter deflectant, tum morbos varios exoriri: eò quòd mutationes qualitatum aëris tranſmutent corpora, unde occaſio fit morborum.

Qualiter vetuſtis temporibus ethnicâ ſuperſtitione imbutis mortalibus per oracula quæ à malo dæmone ſub Apollinis Delphici, aut alterius cujuſpiam idoli ſpecie proferebantur, illuſum fuerit, abundè nobis veterum ſcriptorum monimenta conteſtatum reliquerunt. Unde Tragicus Seneca in Oedipo Act. 2. ſcen. 1. ait:

Ambage flexa Delphico mos eſt DEO
Arcana legere.

Et Claudianus lib. de Bello Getico:

O ſemper tacitas ſortes ambage maligna!

